Miscellanea

THE

PUBLICATIONS

OF THE

SURTEES SOCIETY

ESTABLISHED IN THE YEAR

MDCCCXXXIV.



MDCCCXXXVIII.

NEWCASTLE: PRINTED AT THE SURTEES PRESS,
BY J. BLACKWELL AND CO.

MISCELLANEA BIOGRAPHICA.

Oswinus,

REX NORTHUMBRIÆ.

Cuthbertus,

EPISCOPUS LINDISFARNENSIS.

Eata,

EPISCOPUS HAUGUSTALDENSIS.

LONDON:

J. B. NICHOLS AND SON, PARLIAMENT STREET:
WILLIAM PICKERING, CHANCERY LANE.

EDINBURGH:

LAING AND FORBES.

At a Meeting of the Council of the Surtees Society, on the third day of November, 1835, it was

Resolved,—That a Volume of Miscellanies be always in course of Compilation under the Direction of the Council.

JAMES RAINE,

Secretary.

PREFACE.

THIS Volume contains four anonymous pieces of Biography, a Life of St. Oswin, King of Northumberland, two Lives of St. Cuthbert, and a Life of St. Eata, Bishop of Hexham.

The whole four belong, more or less, to that class of early biographical compilations, in which genuine history, and minute intimations of early customs and modes of living, are mixed with fabulous details; and it may be sufficient to refer to the remarks prefixed to Reginald's Libellus de Admirandis Beati Cuthberti Virtutibus, printed by the Society in the year 1835, for an estimate of the value of such productions.

I. The Life of Oswin is derived from the MS. Cotton, Julius A. X., fol. 2, et seq. in the British Museum, and, with the exception of a few short notices of its contents in Leland's Collectanea, is new to the world. The name of its Author has not been recorded, but there is sufficient intimation in the work itself to prove that he was a Monk of St. Albans, that after having presided as Prior for some time over the Monastery of Wymundeham, a Cell under that Church, he removed to Tynemouth, another of

its Cells or dependent Monasteries, in order to repent at leisure of his sins, and prosecute his literary designs (p. 39–40). He seems to have taken up his abode at Tynemouth in the year 1111, for he was resident there on the 22nd of September in that year (p. 28), and it does not appear that he was present at the Translation of Oswin, which took place in the year preceding. Whilst resident at Tynemouth he was attacked with the gout, and we should have known nothing of his sufferings under this disease, had he not believed it to have been removed by the miraculous interference of his patron St. Oswin. He brings his history down to the reign of Stephen, and therefore he must have lived to a considerable age.

The first part of his Work is a compilation, chiefly from Bede.

His style is pleasing, and he enters with considerable vigour, and occasionally with humour, into some of his tales, and details many very curious historical circumstances and local events, which but for him would have been buried in oblivion.

A pleasing memorial of the piety of King Oswin, the subject of this memoir, is preserved in the British Museum among the Cotton. MSS. (Galba A. 5.) a Psalter, which before the fire in 1731, when it was much injured, contained the inscription "Liber Oswini Regis." From the portions which remain it seems to belong to Oswin's period. It is of the duodecimo size, and therefore the more adapted to daily use.

II. The second Tract, the prose Life of Cuthbert,

is printed from a manuscript of the fourteenth century belonging to the Dean and Chapter of York, of which a minute account will be given in the Preface to the Three Durham Historians, Coldingham, Graystanes, and Chambre, which are now engaging the attention of the Society. This piece of Biography has, as a whole, never been printed before. The Life of Cuthbert in Capgrave, which is a conflation from various sources, commences with the Irish origin of the saint, as detailed in the Life before us; and Coglan, apparently following Capgrave, has ascribed to him the same royal origin. The Editor of the Life of Cuthbert, in the ACTA SANCTORUM (March 20), enters fully into the apparent anachronisms and contradictions of the whole narrative as we give it in the following pages, and rejects it as fabulous. "Certe," says he, "Bæda nollet illustri suo purpureo operi hos laceros assui pannos," upon observing the silence of Bede respecting the alledged royal descent of the Saint, and thus concludes his remarks: "servent Hiberni suum Nulluhoc ejulantem et relinquant Anglo-Saxonibus Cuthbertum." This life, however, comes within the plans of the Surtees Society as a regular piece of biography, written in a good style, and not deficient in incidental information upon subjects connected with the period in which it was written, and these considerations have led to its publication.

It must be remarked that the Monks of Durham had some belief in this Irish descent of Cuthbert, and in other circumstances in his history detailed in this piece of biography. This is proved by the following extract

from that interesting book, "The Ancient Rites and Monuments of the Monastical and Cathedral Church of Durham.*

"These two Bishops (Skirlaw and Langley) were the two first founders and builders of the said cloisters, and did bear all the charges of the building and workmanship of the said work, and were the first that did cause, from the cloister door to the church door, to be set in glass in the window, the whole story and miracles of that holy man St. Cuthbert, from the day of his birth to his dying day. And there you might have seen his mother lying in her child-bed, and how that after she was delivered the bright beams did shine from heaven unto her, aud upon the child as he lay in the cradle, insomuch that to every man's thinking the Holy Ghost had overshadowed him; for every one that did see it thought that the house had been all on fire, the beams did shine so bright over all the house both within and without, and the bishop baptised the child, and called him Yulloch in the Irish tongue, in English Cuthbert. The bishop's name who baptized and had the keeping of the virtuous and godly child was called Eugenius. The name of the city where St. Cuthbert was baptised was Hardbrecunb, for he was blessed of God even from his mother's womb. So that every miracle that he did after from his infancy was set in the said windows by itself, and under every miracle there were certain verses in latine, declaring the contents and meaning thereof, in most excellent coloured glass most artificially set forth and curiously wrought.——In the time of King Edward the sixth this story was pull'd down by Dean Horn and broken all to pieces, for he could never abide any ancient monuments, acts or deeds that gave any light of or to godly religion."

* Published by J. Davies, of Kidwelly, in 1672.

There is, in the British Museum, (TITUS, A. II. 2. 3.) another copy of this Irish Life of Cuthbert, as it has been called, with a translation into Leonine verse. The latter begins with the following lines:—

> "Si cupis audire, Cuthberti miraquescire
> Virtutis miræ, potes hunc sanctum reperire.
> Sanctus Cuthbertus Anglorum tutor apertus
> Regis erat natus et Hybernicus est generatus, &c."

The Poem, however, is imperfect. A note at the foot of fol. 151. b. discloses this defect, and expresses the great anxiety of its owner on the subject. "Hear wants fyve leaves, for whiche I wold gev fyve oulde angells." The Poem ends as follows:—

> "Dum precibus caris devotus eum veneraris.
> Terras Cuthberti qui non spoliare verentur,
> Esse queant certi quod morte mala morientur."

There appears to be another copy of this same Poetical Life in the MS. Harl. 4843, f. 261.

III. The next piece, the Life of St. Cuthbert in simple Leonines,* is transcribed from a manuscript [I. 21. 165] belonging to the Master and Fellows of University College, Oxford, written about the end of the 12th or beginning of the 13th century, and containing, besides,

1. Bede's Prose Life of St. Cuthbert.

* See a curious essay, in which this kind of verse is fully described, in a "Tractatus incerti Auctoris de Metro" appended to the Itinerary of William de Worcestre, published by Nasmith; Camb. 1778.

2. The 31st and 32nd Chapters of the 4th Book of Bede's Ecclesiastical History.
3. Seven other chapters, of which the two first mentioned are printed in the ACTA SANCTORUM, March, Vol. III., 127, &c., and the substance of the concluding five may be found in Symeon.

Their titles are—

1. Quomodo in peregrini habitu a ministro Elfredi panem divisum accepit, qui postea integer inventus est: et quomodo idem Elfredus ipso adjuvante rex effectus est.

" Deus omnipotens juste misericors"——" prævaluit moliminibus."

2. Quomodo tempestate orta tres undæ in navim in qua corpus ejus abducebatur cadentes in sanguinem convertebantur.

" Per ejusdem quoque persecutionis"——" continuis declaratur."

3. Quomodo paganus quidam vocabulo Onalafbal dum contra Dei confessorem injuriam dixisset in ingressu ecclesiæ confixus interierit.

" Ordinatis deinde omnibus"——" presumebant."

4. Quomodo Scotti qui terram Sancti Cuthberti et Lindisfarnense monasterium pervaserant subito terræ hiatu obsorti sunt.

" Scriptum est ibunt"——" abyron."

5. Quomodo miles Comitis Tostii nomine Barcuith dum januas monasterii ejus infringere cupit subito percussus interierit.

" Nec silentio"——" semel audivimus."

6. Quomodo corpore ipsius ad Lindisfarnensem insulam propinquante fluctus maris expectaverint quousque omnes siccis pedibus transirent.

" Exacto deinde paucorum"———" diutius remanerent."

7. Quomodo quidam furtum quod in monasterio ejus perpetraverit ipse prodidit, sicque ibidem miserabiliter interiit.

" Superius qualiter"———" inde abstrabitur."

The subject of every chapter is delineated in an elegant illumination.

The Poem stands last in the Volume, and has no embellishment save the initial O in " O Pater Anglorum." The initial letter of each line has been added in colour by a second hand. In some instances the initial has been inserted by the original hand, and when this is the case a letter is redundant.

The MS. itself contains the autographs of its different owners at various periods, until it became the property of the College.

" Mr. Lelonde."

" Mr. John Daniell, Bachelor of musicke, gave mee this Booke.—Fulke Walwyn."

" Will. Leigh."

" Ex libris Thomæ Leigh fil. predicti Willielmi."

" Liber Johannis Theyer de Cowpers Hill juxta Glouc."

" Le Libre du Guillaume Rogers de Painswick in Com. Glouc."

" Gul. Rogerse Coll. Universit. Uxon."

"Gul Rogers, 1666."

From the person last mentioned the manuscript probably passed by gift to the College of which he was a member. It is of the octavo size, its binding is antient, and it is written in a distinct and beautiful hand.

Poetical Lives of Cuthbert are numerous. The first to be mentioned is that of Bede, in regular Hexameters, which is well known to the world, and which as a composition possesses very considerable merit. There are lines in the work which remind their reader of Virgil, and there are touches of feeling and description of no ordinary character.

Next may be mentioned the Life, which is now for the first time printed, by an author now unknown. Whoever this person was he seems to have contented himself with the facts and miracles recorded by Bede, without seeking for further information on the subject which was engaging his attention, and his main object seems to have been to clothe Bede's narrative in the Leonine verse which was in his time so popular. In this attempt he has succeeded admirably. Nothing can exceed the ingenuity and simplicity of some of his verses, and it will probably be allowed, that of the numerous poets who cultivated this peculiar style of metre, the author before us has been the most successful. It is for this reason, and not for any historical facts which he brings to light, for he tells us in fact of nothing which is new, that he finds a place in this volume. It is to be regretted that a leaf is wanting in the manuscript from which we print (see p. 97), but we fear that if we were to double the number

of "oulde angells" offered by our friend above to supply the deficiency, we should be unsuccessful, as we know of no other copy of the manuscript.

A third Poetical Life (the Irish Life in verse) has been mentioned above, and a fourth is preserved in one of the manuscripts bequeathed by Sir Matthew Hale to the Library of Lincoln's Inn.

The transcript of the Life now printed was obligingly made for the Society by Mr Henry Turner, one of its members; and the respectful thanks of the Society are due to the Master and Fellows of University College for the loan of the manuscript for this purpose.

IV. The short Life of Eata, Bishop of Hexham, is contained in the York manuscript above mentioned, and as it is materially different from the Life of this prelate printed in Capgrave, it has been thought worthy of a place in these pages. Capgrave's Lives are in fact mere abridgments, and in some instances his anxiety for compression has led him to reject matter of importance.

J. R.

⁂ The Reader is requested to draw his pen through the note at the foot of p. 7.

VITA OSWINI REGIS, &c.

Incipit prologus in vitam Sanctissimi et Gloriosissimi Regis Deirorum Oswini, et quomodo sub rege Oswi martyrio coronatus est.

Antiquorum incuria modernorum diligentiam in multis conatibus cogit deficere. Extitit namque antiquitas sæpe negligentior debito, in scribendis memoriæque mandandis strenuorum virorum gestis probabilibus; et maximè illorum, quorum vita Cristianæ fidei virtute vigebat, et mors caritatis eminentiâ pollebat. Hinc est quod visis auditisve Sanctorum nonnullorum miraculis, eorum sanctitati congaudemus: de quorum tamen vitâ quia nichil est, vel parum scriptum tenemus, quid posteris profuturum dicamus, non habemus. Quærit fortè aliquis, quorsum hoc principium? Ego ad hæc respondeo. Cogit me propria devotio, immo fratrum importuna in rogando compellit vexatio, quatinus Sancti Regis et Martiris Oswini vitam martiriumque scripto committam: sed propriæ devotioni satisfacere, vel fratrum caritati obedire, in hac re non permittor; quia de vitâ morteve ejus, quarum utraque in conspectu Domini preciosa extitit, parum in veterum annalibus reperio. Namque Venerabilis Beda in Anglorum hystoriâ vitam mortemque Sancti Oswini succinctè perstringens, nec vitam ejus ut deceret, nec mortem ut oporteret, declaravit: utramque tamen innocentiæ gloriâ decoratam, brevi sed commodâ ratione intimavit. Quæ vero aliis vel dicta vel scripta sunt de tanto Martyre, credere quidem permittimus, sed auctoritate eorum ad credendum non cogimur. Et hæc est ratio, quare ad plenum exequi impedior, quod tamen quoquo modo exequi a fratribus oportunè rogantibus impellor, fateor quippe præsumptionem esse, quod Venerabilis Beda texuit, retexere; speciem quoque apocriphi fore perpendo, quod apud Bedam non invenitur, et tamen passim auditur, quasi veritate subnixum narrationi hystoricæ innectere. Int.... ergo scribere et non peccare, vel nescio vel non possum: tamen quod minus periculosum est eligens, Bedæ vestigiis inhæreo,

quæ perstrinxit Sancti merita latius juxta possibilitatis mediocritatem narrare instituo, pauca tamen ab aliorum historiis excerpta,* fidei magis accedentia intersere. *Explicit prologus.*

CAP. I.—Incipit quomodo Beatus Oswinus, ab atavis regibus ducens originem, post mortem patris sui cum suis honestè exulaverit; et post decennium, hæreditarius rex Deyrorum ad votum gentis illius effectus sit.

Gloriosus igitur Deoque dilectus vir venerandus Oswinus, claris ortus natalibus, regis Deyrorum Osrici fuit filius. Nordthanunbrorum regis clarissimi Ædwini propinquus extitit, paternique stematis generositatem morum probitate transcendens, fidem Cristi bonæ indolis puer excoluit, a quâ pater post susceptum baptismi sacramentum apostatans exorbitavit. Sublato namque de medio præfato Nordthanynbrorum rege Ædwino, successerunt ei duo reges; quorum unus filius patrui sui Ælfrici erat, Osricus nomine; alter filius Æthelfridi, qui ante Ædwinum regnaverat, dictus Æufridus. Hi Nordthanynbrorum gentem, secundum quod antiquitùs erat, in duas provincias dividentes, Osricus beati Oswini frater regnum Deyrorum, et Ænfridus Berniciorum sibi gubernacula, quasi successionis jure vendicârunt. Prodiitque quasi ex adipe iniquitatis eorum, dum fidem Cristi quam pauperes susceperant, jam divites facti abjecerunt, excitavitque Dominus baculum furoris sui Cædwalam regem Britonum, et eo ministro apostatas reges usque ad internicionem percussit. Tuleruntque Beatum Oswinum propinqui et fautores ejus, quia infra annos erat, et ætatis imbecillitas et facultatis tenuitas patris mortem vindicare non permittebat; et cum eo apud Occiduos Saxones per decennium exulârunt. Cædwala vero, licet Cristi sacramentis imbutus esset, tamen perditis moribus Cristi gratiæ ingratus, gentem provinciamque Nordthanimbrorum armis subactam populare cœpit, nec in eâ juris æquitatem exercere, sed eam per exterminium delere satagebat. Regis tamen dominium uno anno in miseram gentem sibi usurpavit, sed officium in dominio minimè commendavit: Compassusque pietatis Dominus miseræ gentis miseriæ, Sanctum Oswaldum Ænfridi fratrem ex Acchâ sorore jam dicti regis Ædwini progenitum suscitavit; ipsumque eximiæ pietatis et religionis virum congredi cum Cædwalâ, non viribus vel armis tantum, sed compatiendi caritate et oppressis subveniendi, piâ intentione disposuit. Fraternâ igitur caritate, quæ vinci

* Vel excepta *MS.*

non novit, Sanctus Oswaldus armatus, præfato Cædwalæ obvius in loco qui dicitur Deniseburna occurrit; traditumque à Domino in manus suas fidei Cristianæ insectatorem credentiumque populatorem in ore gladii percussit: et non solum fratris Ænfridi successor Berniciorum, sed quasi Ædwino avunculo suo ab intestato succedens, per novem annos utramque in unam Nordthanymbrorum gentem redigens, summâ cum æquitate rexit. Tandem post regum apostatarum, Osrici scilicet et Ænfridi, mortem elapso decennio, à Pendâ Merciorum rege pagano in loco qui Maresfeld dicitur, Sanctus Oswaldus discrimini patuit, et gladii animadversione ad cælestia regna translatus est; successitque ei in regnum frater ejus nothus Oswi juvenis, tricesimum jam agens annum, regnumque susceptum per annos duo de triginta laboriosissimè tenuit. Tempore autem quo Cædwala tyrannicâ clade vastavit, vel Sanctus Oswaldus regiâ æquitate tam Deyrorum quam Berniciorum gentem moderavit, Sanctus Oswinus exul agens, Cristianæ religionis pietatem juvenis excoluit; omnique morum nobilitate generosos natales ornavit. Erat enim virtute strenuus, mente senex, affatu humilis, sapientiâ sublimis; quam pii cordis venerabatur continuata devotio: et, ut dicitur, mentis pariter et corporis integritatem Domino intus in animo consecrans, alterum se Joseph, et decorus aspectu et, castus, inter cives Ægyptios exhibuit. Observansque tempus congruum redeundi ad patriam, ecce tandem post actum in exilio decennium, audivit regem Oswaldum de medio in ore gladii sublatum, fratrumque ejus Oswi pro eo in regnum sublimatum: initoque cum suis consilio, Deyrorum provinciam revertitur, ibique cum summo honore ab omnibus suscipitur: parvoque temporis intervallo, principes primatesque regni illius convenerunt in unum, communicatoque unanimiter consilio, Beatum Oswinum hæreditarii juris successione Deyrorum dominum in regem sublimantes, regiâ purpurâ ornaverunt. Erat autem Sanctus Oswinus, ut refert Venerabilis Bæda presbiter, et aspectu venustus, et staturâ sublimis, et affatu jocundus, et moribus civilis, et manu omnibus nobilibus simul atque ignobilibus largus. Erat enim piissimus et omni suavitate conspicuus, atque ita inter divites et pauperes medius, ut pauperes illum quasi parem aspicerent; divites vero quasi superiorem sibi divitem estimarent. Corpore integer, ingenio optimus, consilio magnus, opere sanctus. Unde contigit, ut ob regiam ejus et animi et vultûs meritorumque dignitatem ab omnibus diligeretur, et undique ad ejus ministerium de longinquis quoque provinciis, viri etiam nobilissimi concurrerent: summæque cultor religionis, provinciæ Deyrorum septem annis in maximâ rerum omnium affluentiâ, et ipse amabilis omnibus præfuit. Nec rerum terre-

narum exuberantia, ut assolet, animum ejus abstractum illexit; quia divitiis affluentibus cor non apponens, usum ex eis semper quæsivit, non luxum in eis. Cumque justæ legis moderamine subjectas regeret plebes, ipse Dominicâ lege regi et erudiri omni sollicitudine studebat. Terrenis namque rebus ad votum affluens, sed cor non apponens, eâdem se humilitatis lineâ modificabat jam in regnum sublimatus, quâ consueverat exilio relegatus; et conditionem naturæ similem, et regii gradûs dissimilem semper attendens, hominem se hominibus bonis ac modestis, regem verò feris ac indomitis, in regimine exhibebat; et illorum modestiam præibat modestiâ, et horum feritatem feritate premebat; atque ad omnia spiritualis exercitii studii se accingebat, sed opibus misericordiæ diligentiùs se totum effundebat. O plenum pietate virum! diademate dignum! Eo tempore Nordthanymbrorum provinciam curâ pastorali regebat beatissimus Aidanus pontifex; quem Scottum genere, fide catholicum, Sanctus Rex Oswaldus in pontificium sullimaverat, ejusque prædicatione, divina gratia gentem non modicam ad Cristi fidem converterat. Hujus viri sanctissimi ex consuetudine officium erat, plebem sibi commissam non solum in ecclesiâ docere, sed etiam propter nascentis fidei teneritudinem provinciam circumeundo fidelium domos intrare, verbique divini semina pro captu singulorum in agro cordis eorum cominùs spargere. Hic itaque tantæ in commissum sibi gregem sollicitudinis vir ad Sanctum Deyrorum regem Oswinum ob religionis ejus fragrantiam venire sæpius, et apud eum manere, consuevit; ipsumque in bonis actibus perseverantem, ad meliora et perfectionis ulterioris summa proficere semper commonuit; et quia per martyrium ad cæleste regnum transiturus esset, Spiritu Sancto edoctus prædicebat. Siquidem rex illum ut virum sanctum suscipiens, verba vitæ prædicantem diligenter audiebat; et ut dilectissimo patri piè subditus, ad illius oris imperium etiam malè gesta si quando reprehendebatur, corrigere satagebat. Episcopus verò regis humilitate et obedientiâ nimium delectabatur; et cum illo sæpe de contemptu mundi, de cælestis vitæ dulcedine, de gloriâ Sanctorum, familiariter sermocinabatur. Rex autem verbi Dei nequaquam obliviosus auditor, sed studiosus operator effectus, secundum quod à bono magistro didicerat, omnium curam paternâ caritate gerens, pauperes et maximè peregrinos benignè recipiebat; esurientes alens, nudos vestiens, et omnibus ejus beneficia postulantibus hilariter impendens. Factaque est inter eos tanta mutuæ caritatis confederatio, ut Rex sanctum præsulem quasi Dei angelum haberet: ejusque monitis tanquam cælitùs mandatis obtemperaret. Pontifex vero Regem tanquam animæ ejus portionem diligeret; et nunc, si quid in rebus sæculi ut assolet

excederet, quasi filium corriperet; nunc in rebus spiritualibus suspensum quasi socium sermonum dulcedine foveret et accenderet.

CAP. II.—Qualiter Rex Sanctus à Sancto Aydano episcopo correptus, verba illius in corde suo conservans, in spiritum humilitatis ante pedes ejus solo tenus jacuit, ut veniam mereretur.

Vitam namque suam omni virtutum honestate rex informaverat, et quæ in pauperibus rara, in divitibus vero nulla esse consuevit humilitas, in regiæ mentis penetrali domicilium sibi sancierat. Sed quantum humilitas omnium virtutum mater et fundamentum esse cognoscitur, dicendum est cujns humilitatis vir iste fuerit, qui tot in se virtutes habuisse dicitur. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Ejus igitur inter cæteras virtutis et modestiæ, et, ut ita dicam, specialis benedictionis glorias, etiam maxima fertur fuisse humilitas, ut uno probare sat erit exemplo. Donaverat, inquit Venerabilis Bæda presbyter, Sanctus Rex Oswinus antistiti Aydano equum optimum, in quo ille quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si aliqua necessitas insisteret, viam peragere posset. Cui cum parvo interjecto tempore, pauper quidam elemosinam petens occurreret, desiliens ille præcepit equum ita ut erat stratus regaliter, pauperi dare. Erat enim multum misericors et cultor pauperum, ac velut pater miserorum. Hoc cum esset regi relatum, dicebat episcopo, cum fortè die quidam ingressuri essent ad prandium, "Quid voluisti, domine antistes, equum regium quem te conveniebat habere proprium, pauperi dare? Num quid non habuimus equos viliores plurimos, vel alias species quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum ei non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi?" Cui statim episcopus; "Qnid loqueris" inquit "rex? num tibi carior est ille filius equæ quam filius Dei?" Quibus dictis, intrabant ad prandium, et episcopus quidem, residebat in loco suo. Porro rex venerat de venatu, et cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris, et repentè inter calefaciendum recordans verbum quod dixerat illi episcopus, discinxit se gladio et dedit illum ministro, festinúsque accedens, ante pedes episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, "quia nunquam" inquit "deinceps loquar de hoc aut judicabo, quid aut quantum de pecuniâ nostrâ filiis Dei tribuas." Quod videns episcopus multum pertimuit, ac statim exurgens levavit eum, promittens se multum illi esse placatum, dum modo ille residens ad epulas tristitiam deponeret; cumque rex jubente ac

postulante episcopo lætitiam recepisset, cœpit è contra episcopus tristis usque ad lacrimarum profusionem effici. Quem cum presbiter suus linguâ patriâ, quam rex et domestici ejus non noverant, quare lacrimaretur interrogasset, "scio," inquit, "quia non multo tempore victurus est rex. Nunquam enim ante hæc, vidi humilem regem, unde animadverto, illum citiùs ex hac vitâ rapiendum. Non enim digna est hæc gens, talem habere rectorem." Nec multo post, dira antistitis præsagia tristi regis funere completa sunt. Et certè superioris potestati inferiorem voluntariè subdi, æquitatis exigit stricta ratio. Æqualem nichilominus æquali non nunquam supponi, ulterioris justiciæ facit profectio. Sed superiorem inclinari inferiori, non facit nisi justiciæ consummatæ profectio. Unde creator superior inclinans se ad baptismum creaturæ inferioris, id ipsum expavescens ait, "Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justiciam," sic videlicet humiliando se coram inferiori. Hujus justiciæ perfectionem Beatus Rex Oswinus edoctus non litteratoriâ professione sed Spiritûs paracliti unctione, regiæ majestatis oblitus, pedibusque pontificis advolutus, non solum effrenis gentis cui præerat feritatem suspendit in admiratione, sed etiam adultæ religionis patres, sui exemplo accendit ad humiliationem. Nec erant tunc temporis pontifices ut nunc, vel divitiarum affluentiâ insolenti, vel vestium preciosarum pomposo fastu, etiam divitibus secularibus præeminentes, sed pauperes spiritu, pauperes etiam facultatibus erant, et ideo contemtui facile patebant. Eratque eo virtuosius, eis reverentiam impendere.

CAP. III.—Quomodo post multas persecutiones, cum ad ultimum in bello, vel adversæ partis sanguinis effusione, vel suæ gentis detrimentum, pro regno terreno cernere horreret, ut cœleste regnum lucraretur, intuitu pacis in domum Hunwaldi cujusdam familiaris Comitis sui receptus, ab eodem Comite regi Oswi proditus, innocens interfectus est.

Multa sunt et alia humilitatis exempla, quâ decenter et abundanter illa Deo devota anima vernabat, sed annumerare longum est, videbiturque protractior in ejus commendatione mora ceteris virtutibus ejus damna laudis inferre. Præeminuit namque in eo æquâ proportione, vel elemosinarum largitio, misericordiam viri exercens; vel oppressis subveniendi compassio, caritatem exprimens; vel subjectis parcendi dulcedo, pietatem promens; vel rebellibus resistendi acredo, libertatem exercens. Igitur vigiliis, jejuniis, orationibus, insistens, et tot et tantis virtutum prærogativis insignitus egregius Rex Oswinus, ei adversarius

suus Oswi Berniciorum, invidiæ de suis successibus fomitem ministravit. Doluit namque Oswi regnum, quod frater ejus ex integro possederat, per Beatum Oswinum divisum fuisse, et à ditionis suæ terminis, Deyrorum regnum sequestratum esse. Sanctus enim rex Oswaldus, cæso Cædwalâ, Berniciorum Deyrorumque nationes et populis et moribus distinctas, in unam convocans dominationem, de duobus unum fecerat regnum. Quam ob causam Oswi in suæ exhæredationis contumeliam redundare credebat Sancti Regis Oswini imperium, quod susceperat, equidem non quasi successor Sancti Oswaldi, sed patris sui regis Osrici, qui, ut dictum est, hæreditario jure Deyrorum regno præerat, sed apostasiæ culpis exigentibus, regno vitâque pariter privatus fuerat. Hæc itaque causa invidiæ odiique principium fovit, sed aliis ex causis cumulus non modicus accrevit. Maloque cupiditatis suæ jam dictus tyrannus Oswi satisfaciens, callidis machinationibus, Sancto Regi Oswino insidias tendebat; ut dolo vel quoquomodo tentum morti traderet, regnique sui damna resarciret. Sanctus vero Oswinus, quia ab omnibus amabatur, ut erat amabilis valdè, insidiantis dolos præcavebat; aliquando cogitatus malignos recogitandi solertiâ, aliquando ex consciorum consilii ipsius Oswi præmuniente gratiâ. Factumque est ut regnum quod septem annis in successuum gloriâ cum summâ pace possederat, duobus sequentibus annis minus quietè teneret. Reverentia tamen Aydani episcopi, qui pacem inter reges conciliare satagebat, malitiam regis Berniciorum per septennium repressit, sed nullo sacri verbi ymbre ad plenum extinguere potuit. Quod quidem Sanctum Regem Oswinum non latuit, et ideo nunquam paci, quam rex Oswi similabat, se credidit. Videns itaque rex Oswi, quod simulatione suâ circumvenire non potuit Sancti Regis Oswini solertiam, indoluit, et odii venenum quo latenter nocere innocenti proposuit sed non potuit, evomere disposuit. Cum igitur draconis insidias nichil sibi prodesse persensit, leonis rugientis feritatem induit; et collectâ undecumque potuit infinitâ bellatorum multitudine, Beato Regi Oswino in manu forti occurrere, ipsumque nephandâ nece perimere anhelavit.

Præclarus itaque Deoque acceptus Rex Oswinus, sciens quod vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittant, suorum circundatus acie, loco qui Wilfaresdun* dicitur, ei obvius venit. Sanctissimus autem Rex Oswinus, videns suos cum adversariis unanimiter volentes non solùm contendere, verùm etiam pro suo rege paratos occumbere, volvens in animo discriminis horrendum facinus, seque solum homicidii hinc inde passim committendi in

* See the brief topographical notice appended to the preface.

See preface

causâ esse, suis potius quam sibi parcendo, piè consulens, sic eos alloquitur. "Congratulor quidem, o fidissimi principes et strenuissimi milites, vestræ militiæ et probitati, et gratias ago bonæ erga me vestræ voluntati. Sed absit à me, ut mei solius causâ, belli discrimen periculosè quidem omnes incurratis, qui me quamquam jure dominum, pauperem tamen et exulem regem vobis constituistis. Malo itaque sicut hactenus ubi ubi cum paucis, vel solus, exulare; immo potius diligo mori, quam vos tot et tales mei solius causâ contingat quoquo modo periclitari. Impius enim et inhumanus est, qui cum Dei judicium nullo modo possit avertere, plures sui causâ conatur evertere. Quare ego divinam super me sententiam pacificus, non belligerando, libenter amplectens, cum per os Sancti pontificis Aydani per martyrium ad cælestis gaudia regni me transiturum agnosco, quo ordine et tempore Cristus voluerit, vitam temporalem finire non recuso. Scriptum quippe est, "Constituit Dominus terminos ejus, qui præteriri non poterunt:" Unde poeta canit, "Stat sua cuique dies." Nemo diem mortis anticipare valet. Præterit et nullus, sed quâvis quis obit, dicitur esse suâ." Videns autem exercitus Sanctissimi sui Regis et domini mentem à proposito revocari non posse, quin dissolvi cuperet et cum Cristo vivere, alto cordis vulnere sauciati unanimiter ejus genibus provolvuntur, talia dicentes, Sanctum cum fletibus orant. "O rex insignis, o regis nomine dignus, nobis indignis petimus nunc esto benignus. Nunquid nos ignavos aut degeneres aliquando repperisti? an apparuimus alicubi in conflictu bellico tardiores? hostium profecto cuneos securi, persæpe penetravimus. Liceat ergo nobis cum hostibus instantis certaminis inire conflictum, et in ore gladii perversæ ætatis rimari viscera ferro; si fortasse nobis in pugnâ sinistrè cesserit, melius est nobis mori in bello, quam apud vulgus domini desertores in proverbio cantitari. Si vero fugam inire delegeris, degenerabis. Si nos dereliqueris, nos tanquam rei majestatis proscriptione damnabimur. Nunc autem quia salva sunt tibi præmia tua, in hoc nostri petimus miserearis ne nos deseras." Sanctus ad hæc. "O fidissimi milites, vestræ quidem probitati congratulor, quantum vos fortes in bello et strenuissimos persæpe reperi, et nichil est in vobis tarditatis aut ignaviæ quod possit aut debeat reprehendi. Sed vos hostis non persequitur. Ego sum causa discriminis. Expedit ergo ut unus moriatur pro populo, quàm ut populus tantæ multitudinis deleatur pro uno: præsertim cum mihi scierim mercedem plenam esse repositam, coronam scilicet martyrii, quam mihi reddet in instanti certamine justus judex. Quia igitur Dei providentia in sui dispositione non fallitur, Deus quod statuit de me, sine me deliberat ipse. Nolo ipsius voluntati aliquatenus contraire,

sed per martyrium, ut providit, ad gaudia regni cælestis anhelo." Hæc effatus Sanctissimus Rex, hujusmodi fudit orationem. "Pater miseriarum et totius consolationis Deus, cujus Filius magni consilii angelus, cujus Spiritus in pressuris paraclitus, da mihi in tantæ angustiæ instantiâ meliorem eligere viam. Quia si bello conflixero, fundendi sanguinis coram te reus appareo. Si fugam iniero, et propriæ dignitati et parentum nobilitati degener appareo. Et hominibus fugiens displiceo, et Tibi dimicans." Hæc et in hunc modum similia Deo confidens, tandem consilii sui anchorâ in Deo fixâ qualiter Deo placeret, nec hominibus displiceret, mentem subiit. Remittendumque in domos suas populum, bellumque importunius ad tempus suspendendum, seque secessum aliquod petiturum, primatibus priùs, deinde toti exercitui suggessit, hujusque consilii rationem exposuit dicens. "Me solum ad perdendum quærit adversarius, quem si ab exercitu declinâsse audierit, furoris ejus impetus reprimetur, revertentemque exercitum non persequetur. Sed si me in revertentium comitatu esse didicerit, instabit atrocius, eritque è duobus unum ex necessitate eligendum, aut viriliter resistendi animositas, aut terga vertendi degenerositas. Terga ergo vertere non consuevimus; et ideo ecce seorsum ab exercitu declino, fido comitatus Tondhere Tylsii filio, comitisque mei Hunwaldi domum de nocte adeo; quem etiam mihi fidum credo, quia id me promeruisse recolo." Quibus dictis, athleta Cristi exercitum suum domum remisit, et cum uno tantum sibi caro milite, nomine Tondher Tylsii filio, in Gethlingum secessit; domumque Hunwaldi sui ducis, cui etiam prædictum vicum et multa alia prædia donaverat, quem et ob hoc sibi fidum autumabat, pacem suis et vitam præoptando ut ante consueverat revisit, juxta verbum Domini ad discipulos suos dicentis, "Si vos persecuti fuerint in unâ civitate, fugite in aliam;" unde et Paulus ait, "Date locum iræ." Constitit igitur de illo manifestè, quia si pro populo suo mori noluisset, nequaquam eo dimisso proximam sui ducis Hunwaldi domum presertim inimicis circundatus solus adisset. Alias autem sui compos liberandus divertisset, si piâ caritate pro suis velut aries de grege electus solus occumbere non maluisset. Decrevit itaque vir beatissimus sic, vel ad modicum mortis protelare sententiam, cui tamen ferventissimus amor inerat, liberato populo pervenire citius ad coronam. Et bene sibi conscius, domum sui traditoris cum uno tantum milite imperterritus adiit; imitans illum qui mundum redempturus non invitus, sed spontè locum suæ passionis appetiit. "Qui enim," inquit Johannes, "vult in Cristo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare." Felix itaque discipulus, felicem imitatus est magistrum, dum et magister ortum petiit quo traderetur, et discipulus

domum in quâ moreretur. Constat igitur quia pro suis exemplo Domini libens mortem subierit; cum patet quia sicut Dominus suâ sponte locum passionis adierit. Sed heu nusquam tuta fides. Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus. Hunwaldus regis inimicus erat, sed regem latebat. Dumque ei rex secretum suum committebat, ille proditionem in animo volvebat. Si quæris inimicandi causam, non extat alia nisi pura malitia. Nam eum rex in nullo unquam offenderat, sed ut dictum est, possessionibus ampliaverat. Nec aliunde ejus iram meruerat, nisi quod honoribus cumulaverat. Hunwaldus itaque quasi pacis filius, in interioris diversorii conclavi Sanctum Regem introducens, pacisque securitatem promittens, quieti se aptare commonuit. Et ne ipse quiescenti tumultus fieret, in aliam se officinam recepit: et velut inopinatè thesauro invento tripudians, moræ nesciens Berniciorum regem adiit, ipsique dominum suum Sanctum Regem Oswinum prodidit. O dolus et nequitia! O alterius Judæ perfidia! Pius namque rex domum Hunwaldi confidenter adiit, et eum nequissimus hospes interimendum adversario sceleratissimè tradidit. Quid facis Hunwalde proditor maligne? Nunquid Deum non times, nec homines revereris? Numquid si Deus filium suum prodi permisit, proditio ei placuit? Nonne tradendus traditori prædixit; "Væ homini per quem filius hominis tradetur?" Quod sive gehennale non attendis, vel attendere te dissimulas, attende saltem quod in oculis hominum nil proditione sit abjectius, nil infestius, nil scelestius. Proditio scelus scelerum, crimen criminum; legis transgressio, juris confusio; nequitiæ professio, malitiæ protestatio. Proditio, res gratiæ nescia, tam ejus cui fit, quam ejus in quem fit, tollit dilectionem. Quod si communis proditio talis est, domini proditio qualis est? Si scelus scelerum est, socium vel vicinum prodere, dominum prodere quantum scelus est? Jam tanti sceleris immanitas, sermonis excedit angustias. Jam sermo non explicat, quod usus ignorat. Quod si emolumentum ex proditione expectas, non comparet. Si enim prodis ut ditescas, fraudis tuæ muscipulâ caperis; quia nunquam te tantis cumulabit honoribus hostis cui tradis, quantis jam cumulavit dominus quem tradis. Si prodis ut placeas, falleris; quia proditio facit ne ipsi placeas, cui placet proditio tua. Vitium proditionis non placet, nec proditione vitiosus placet, cui tamen actus proditionis placet. Nec est in hac re cui magis noceas, quam tibi ipsi, qui malitiæ insitæ stimulo prodis innocentiam, et per mortis intempestivæ compendium, domino regi acceleras martyrii gloriam, et nobis ejus obsequio mancipatis corporis ejus gratiosam præsentiam. Berniciorum itaque rex crudelis ad verbum proditionis exultans, et labiis proditorem Hunwaldum honorans, intempestæ noctis silentio

Edelwinum domûs suæ procuratorem armato globatum milite direxit, Regem Oswinum Beatissimum teneri, et incontinenti ferro transfodi precibus imperio subnixis, sub debitæ fidei attestatione præcepit. Igitur Edelwinus in manu forti Hunwaldi domum clam ingressus, innocentem Regem Oswinum tenuit, eique sui domini et regis nephandi Oswi edictum exitiale innotuit. Preciosus vero agonista Dei primùm ex inopinati casûs eventu turbatus, sed statim viribus fidei comfortatus, et à turbatione expergefactus, in mortis imminentis necessitate consilium communicavit cum virtute, et necessitatem inevitabilem commutans in virtutem voluntariam, Cristi signo muniens pectus et linguam, misso spiculatori tale fertur dedisse responsum. " Edictum regis tui pendet ex permissione Dei regis mei, nec est in permissionibus divinis aliquid vel injustum vel inordinatum. Et ideo licet innocentiæ mihi scius sum, nec fecerim teste conscientiâ et conscientiarum conscia.........

CAP. IV.—Qualiter corpus Beatissimi Regis et Martyris Oswini quinto idûs Martii inventum sit.

Anno incarnationis Dominicæ sescentesimo quinquagesimo primo, gloriosus Deyrorum Rex Oswinus, proditione mediante, gladio trucidatus, sed innocentiâ promerente ad cælestia est translatus. Statimque ab his quorum officio discrimini patuit, delatus est ad ostium Tynæ fluminis, locum videlicet ab incolis regionis ob imminentis rupis securitatem ab hostibus celebriùs frequentatum, sed ob reverentiam gloriosæ Virgini Mariæ inibi exhibitam teneriùs amatum, ibique sepultus est in oratorio ejusdem virginis, quod constructum erat ad aquilonem fluminis. Et quia rudis natio illis temporibus, et illis in locis non multum efficiebatur circa sepulchrarum gloriam, reverendum corpus sarcophago lapideo impositum, in abdito sinu terræ reconditum est. Habitaque est in summo honore Regis illustris memoria, circa quos viguit in carne viventis, et diadema regium gerentis reverentia. Familiare quippe usuique est, ut ametur extinctus, qui amabatur vivus ; veneretur in mortalitatis stolâ circundatus, qui reverentiâ colebatur, sacco nostræ corruptionis indutus. Porro fides Cristi quæ in Deyrorum regno floruit, Sancto Oswino regnante, et præsulante Sancto Aydano, versâ vice regum et præsule tractu temporis emarcuit. Nam genti prædictæ nunc fideles, nunc infideles principabantur ; et juxta principum instituta, varia divinus cultus in subjectarum plebium studiis sensit dispendia. Tali occasione memoria Sancti Martyris Oswini obseleta, et penitùs deleta, funditùs ab hominum notitiâ

evanuit. Jacuitque per multa annorum curricula gleba sancti corporis sub abjectiori cespite tumulata, et usque ad tempora Thostii Comitis et Ægelwini præsulis Dunelmi, incuriæ pariter et ignorantiæ neglectu, debità veneratione est fraudata. Erat autem Thostius Ducis Cantiæ Godwini filius, Comes Nordthanymbrorum Sywardo Comiti succedens, non testamenti beneficio, sed Sancti Regis Ædwardi dono regio. Hujus itaque viri temporibus placuit divinæ pietati Sancti Martyris meritum sub modio ignorantiæ diutiùs absconditum, in lucem proferre, et candelabro ecclesiasticæ notitiæ imponere. Erat autem edituus quidam prædictæ ecclesiæ in quâ Sancti Regis et Martyris corpus humatum fuerit, nomine Edmundus, vir quidem religiosus et timoratus, monachili vitâ insignitus, et habitu ut legitur redimitus, Cristo et Sanctæ ejus Genetrici die ac nocte inibi devotus. Non erat de corpore alicujus monasterii, non titulo professionis, regulari disciplinâ astrictus; erat tamen, etsi non publico voto, voluntario quidem proposito in turbis monachus, in frequentiâ populi solitarius. Hic nocte quâdam cum post nocturnas vigilias in ecclesiâ taxatâ membra sopori dedisset, astitit ei vir quidam coloris vividi, et inexhausti vigoris, staturâ procerus, et cælesti fulgore nitidus. Quem diligenter intuens, et ob angelici vultûs magestatem quis esset interrogare non præsumens, vir angelicus sic eum alloquitur dicens, "Frater Ædmunde, Ædmunde frater!" Cui Ædmundus cum omni reverentiâ respondit, "Quis es domine?" "Ego sum," inquit, "Rex Oswinus proditione Hunwaldi Comitis mei ab Oswio rege detestandâ nece peremptus, qui in hac ecclesiâ jacio omnibus incognitus. Surgens igitur vade et dic pontifici Ægelwino, quatinus in hujus oratorii pavimento glebam corporis mei quærat; et inventum elevet, et decentius solito in eodem oratorio recollocet. Assis etiam et tu, cum pontifice quæsiturus." Quibus dictis, disparuit. Expergefactus itaque Ædmundus, et de visione admodum lætificatus, residuum noctis vigil in orationum et gratiarum actione transegit; surgensque summo manè pontificem Ægelwinum concitus adiit, et visionis sanctæ seriem merâ veritate ei ex ordine retulit. Pontifex vero auditâ tantæ dignationis dulcedine, et ad credendum vehementius tractus, referentis notâ sanctitate, ineffabili gestiit gaudio, quia suo ministerio dignatus est reverendus Sanctus Rex et Martyr Oswinus levari a tumulo. Comitissa vero præfati Comitis uxor, devota Deo famula, mandavit fideli suo præsuli secretiùs, quatinus si Deo donante corporis Sancti Martyris eum invenire contingeret, quantulamcunque portionem inde pro benedictione reservaret, ut quia pro suo desiderio una cum aliis præsens esse non poterat, haberet saltem quod pro amore Sancti postmodum venerari

potuisset. Catervatim igitur de remotis partibus populi cum devoto episcopo ad locum veniunt sanctæ requietionis; ibique concionante sub morosâ devotione pontifice, universitas hominum qui aderat præsulis hortatu prostrata est in oratione, gratiamque inveniendi quibus animum quærendi preciosum thesaurum Deus dederat, unanimi rogant precamine. Surgente itaque populo ab oratione, ministri ad hoc deputati in oratorio ecclesiæ fodere satagunt; et omne tempus à primâ usque ad horam sextam in fodiendo alternatim transigunt, sed nichil proficiunt. Rimantur terræ viscera, et terræ commissa non reperiuntur pignora. Cœperuntque pariter nonnulli cum summâ indignatione abire, qui cum summâ devotione convenerant. Porrò Ædmundus magis confusus de Sancti injuriâ, quam de propriâ contumeliâ, fidei facibus succensus, arrepto ligone inibi fodere cœpit, ubi foderant qui jam nichil reperientes discesserant. Cùmque iterato nisu ligonem fortiùs terræ incussisset, ferro tinnitum reddente in aliquod saxum offendisse se credidit; et ad spem meliorem lapidis repercussio fidelis viri animum confortavit. Et tunc spe refocillatâ incumbit operi cœpto vehementiùs, et ejecto pulvere à fossâ, sarcophagum lapideum invenit, in quo recondita erat margarita præfulgida. Fortè quia passim et indiscretè justi et injusti admittebantur ad cælestis secreti conspectionem, dilata est et reservata sancti corporis inventio, donec se absentarent qui irreverenter et injusti advenerant. Episcopus verò discedentibus impatientum turbis cum domesticis suis remanserat, ut rei finem videret sollicitus præstolator. Cum autem sarcophagum inventum respiceret, statim solo prosternitur ipse et paucitas fidelium qui aderant, et lacrimis præ gaudio abortis orantes intentiùs et prolixiùs, auxilium Divinitatis invitant et Sancti Martyris. Et accedentes propiùs revolvunt lapidem superpositum, et statim refertur omnis ecclesia miri odoris fragrantiâ, et omnes qui aderant tanta suavitas affecit, ut in paradysi deliciis se positos certissimè affirmarent. Videntes autem diu desideratum, et jam tandem inventum thesaurum super aurum et topazion preciosum, universi præ læticiæ magnitudine lacrimas lacrimis cumulabant, genua flectebant, gratias agebant, sed tangere sacratissimum corpus nullus præsumebat. Habitaque est aliquandiu de reverentiâ orta contentio inter clericos et laicos quis accederet ad tactum, dum unusquisque de meritis suis minus præsumens habeat se excusatum; tandem unanimiter in episcopum intendunt, et ejus esse meriti pariter et officii, ut solus vel saltem prior tangat sanctum asserunt. Ille vero morosâ reluctatione se excusans quòd non semper præeminent aliis merito, qui prælati sunt officio, tandem victus importunitatis tædio, accedit ut tangat, et sullevet de sarcophago. Lavatur autem à

præsule corpus sacri sanguinis effusione Deo dicatum, et lotum primò mundissimis involvitur lintheis, deinde palliis preciosis; et in mausoleo cum magno honore reconditum in eminentiori ecclesiæ loco collocatur. Lavacrum igitur, quo ablutum est corpus sanctissimum, in angulo oratorii ad aquilonem episcopo ex industriâ præcipiente transfusum est. Quod multis postea profuit, non solùm hominibus, sed etiam animalibus, variis morborum generibus laborantibus. Nam quotiens sontico vel interpolato morbo gravabatur vel hominum vel animalium natura, pulvis sacro lavachro conspersus, modico aquæ injectus, et à languente aquâ mediante haustus, citissimam conferebat sanitatem et collatam protractiùs conservabat. Facta est autem hæc inventio Sancti Regis et Martyris Oswini, anno à passione ejus quadringentesimo quarto decimo, videlicet anno incarnationis Dominicæ millesimo sexagesimo quinto, quinto idûs Martii. Et quia prædictus Comes Thostius interesse sanctæ inventioni in ditione suâ factæ noluit, eodem anno culpis suis exigentibus ab Anglorum regno expulsus, apud Baldewinum Flandrensem Comitem, cujus filiam sibi matrimonio copulaverat, exulavit. Et sequenti anno Haraldi regis Angliæ et fratris sui gladio cum Norreganorum rege Haraldo, in loco qui tunc Stanfordebrigge, nunc vero Pons Belli dicitur, de medio sublatus est. His ita gestis, episcopus Ægelwinus Comitissæ Judith non immemor, capillos sancti verticis apud sequestrum inter lavandum posuit, quos putredo non consumpserat, vetustas non corruperat, vermis denique in nullo læserat, et peracto convenienter translationis officio, secum ad Comitissam cum summâ reverentiâ detulit. Porro Sancti corpus utrum repertum sit totum corruptionis alienum, an carne putredinis debito consumptâ, ossium et capillorum integritas sit dignatione supernæ gratiæ reservata, non legitur, et ideo definiri nostro stilo non præsumitur. Capilli tamen sine dubio incorrupti, corpore in pulverem redacto, inveniri potuerunt. Vidimus quippe boni testimonii viros, qui vidisse se perhibuerunt corporibus mortuorum consumptis, capillos eorum incorruptos, de quorum tamen sanctitate nihil audierunt. Eapropter multò credibilius est, idem contigisse in Sancto de cujus gloriâ certissimè constat, licet de corporis ejus incorruptione non omnimodis constet. Igitur præpotens et devota femina, visis Sancti Regis capillis incorruptis, admirata est vehementiùs, sed devotiùs gavisa. Vidensque turbam non modicam, quæ pontificis iter comitata fuerat, et sanctorum capillorum indemnitatem audierat, voluit eos solidare in fide et Sancti Oswini devotione. Præcipiens itaque copiosum ignem accendi in medio aulæ regiæ, capillos lateri superpositos voraci flammæ injecit; sed flamma sanctis capillis nil molestiæ

intulit. Quod videns veneranda Comitissa et plebs igni circunstans innumera, de Martyris merito certior est effecta, et in gratiarum prosecutione devotissimè revoluta. Thostio Comite proscripto, hæreditas ejus devoluta est ad fiscum regium. Subactâ vero Angliâ Normannis, et Willelmo Normanorum duce in regem Anglorum consecrato, accepto tempore comitatus Nordhanymbrorum regis munificentiâ datus est Roberto de Mulbray, viro stematum longâ serie generoso, staturâ quidem procero, et militaris probitatis elegantiâ glorioso. Hic cœpit Sanctum Regem et Martyrem Oswinum eximiæ devotionis diligentiâ excolere, et ecclesiam in quâ sanctissimum ejus corpus requiescebat, quia infra ambitum castri ejus in Tynemudtha continebatur, fundorum et prædiorum copiâ ditavit, et viros monastici ordinis, de monasterio Sancti Albani Anglorum prothomartyris assumptos, inibi collocavit, qui nomine Priorum præfuerunt monasterium, in quo modò requiescit Sanctus Rex et Martyr Oswinus. Cujus tamen fundamenti initia, ut dicitur, Comes Thostius jecerat, à fundamentis ædificaverunt. Consummato vero monasterii novi ædificio, gloriosus Martyr ab antiquâ ecclesiâ, in quâ celebrato martyrio humatus fuerat, et ab Ægelwino præsule inventus, translatus est in monasterium novum, et scrinio novo tanto Martyri digno solemniter reconditus, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tercio, decimo Kalendarum Septembrium, die vedelicet passionis ejus. Interfuerunt autem venerandæ translationi huic Dunelmensis episcopus Rannulfus, abbas monasterii Sancti Albani Ricardus, abbas Salesberiensis Hugo, et innumera promiscui sexûs et ætatis diversa multitudo, quæ de remotis et vicinis partibus ad diem convenerat, tracta celebrandæ translationis devotione. Jocundemur itaque in Domino dilectissimi, et iterata Sancti Regis et Martyris Oswini solemnia propensiori curâ celebremus. Omne tristiciæ proscribamus nubilum, ubi cuneus virtutum multiplicis instaurat leticiæ serenum. In sereno posita Martyris gloria, ad paradisi serenum suo invitat exemplo divitum milia. Non enim sanctitatis aggressus est viam, paupertatis coactus necessitate, vel, ut fieri assolet, ægritudinis invalitudine; sed solâ creatoris gratis dilecti tractus contemplatione, vixit in purpurâ more David, pauper et dolens; pauper spiritu, divitiis et deliciis regiis affluebat; sed dolens in spiritu, rebus affluentibus cor non apponebat. Quanto enim magis copiis affluebat, tanto minus desideriis effluebat. In medio circumstrepentis familiæ, quæ erat ei multa nimis, elongavit fugiens; et mansit mentis in solitudine, frequentatum subjectarum sibi plebium multitudine. Sicut regni dignitas exigebat, foris se agebat; sed affectus suos intus regens, viriliter in humilitatis et paupertatis amore exerce-

bat. Ad omnia spiritualis exercitii studia se accingebat, sed opibus misericordiæ diligentiùs se totum effundebat. Sua satagebat copia, miserorum supplere inopiam. Divitum quippe superflua, reputabat pauperum necessaria. Auctoritate officii regii credebat se plurimum debere his qui minimum poterant; plurimam exhibere justiciam his, qui gravabantur plurimum. In humilitatis regiæ commendatione Venerabilis Beda exemplum proposuit omnibus imitandum, sed à nullis regibus usque in hodiernum diem plenè executum. Humiliari quippe sub excellentioris imperio, debiti est exactio. Humiliari verò sub socialis fœderis officio, meriti est promotio. Humiliari tandem sub inferioris dignitatis obsequio, profectionis est consummatio. Hac perfectæ humilitatis gratiâ præditus enituit Sanctus Rex et Martyr Oswinus, qui pontificis Aydani provolvitur pedibus, in mediis primorum suorum agminibus supplicat pro veniâ, qui de culpâ trepidat non commissâ, et interrogationis suæ discretionem, redundare formidat in præsulis læsionem. Regiam magestatem pontificali dignitati prælatam esse novimus, tam ex spiritualis unctionis singulari sacramento, quam ex temporalis principatûs præcellenti dominio. Quæ tamen humiliavit se coram ordine inferiori, non in conclavi, sed in palatio; non coram domesticis tantum, sed coram passim adstantibus multis tam servis quam liberis, tam ignotis quam cognitis. Horâ prandii non ollas carnium versat in animo, sed recogitat amariùs se lapsum in verbo, et otior procumbit ad satisfactionem, quam ad refectionem recumbit. Ciborum etiam ingurgitationem anticipat crapula lacrimarum, et prius scindit cor contritione, quam corpus farciat pastu lautiore. Videt et contremiscit Aydanus pontifex, et ad mensam residens usque ad lacrimarum suffusionem compungitur, ubi etiam de instante regis martyrio in spiritu edocetur. Sicut lingua prædicantis arescit, et ab officio suo non nunquam deficit pro auditorum culpâ, sic et magestas justè præsidentis sæpius rapitur ab hac vitâ, pro morum inæqualitate quæ principatur in plebe subjectâ. Sic profectò, sic Sanctus Rex Oswinus, quia gens sua non meruit talem habere rectorem, gladio transfoditur invidorum, et ad Sanctorum transfertur consortia Angelorum. Nullus stilus vitæ ejus sanctissimæ seriem, sicut nec Sancti Melchisedech plenè texuit, vel dignè ut decuit, nisi Venerabilis Beda in Anglorum hystoriâ breviter magna perstringens, et multa constringit; qui de Sancto non principaliter scribit, sed incidenter mentionem facit. De Sancti Melchisedech vitâ scriptura nec parum quid loquitur, et tamen crebram ejus mentionem faciens sanctissimum regem fuisse insinuando testatur. Sic etsi de vitâ Sancti Regis nostri parum scripturæ beneficio colligamus, invento ejus glorioso corpore

miraculorum celebratio innumera silenter allegat de meritorum ejus prærogativâ. Pace Sanctorum Angliæ dixerim non est in eorum numero, qui crebriùs innovet signa, qui singulariùs inmutet mirabilia, qui districtior animadvertat in discolos, qui propicior bonos exaudiat et modestos. Rex igitur et Martyr Oswine, nostris precibus aurem inclina serenissimæ clementiæ tuæ, et ad celebris inventionis tuæ gloriam reconciliationis gratiam hodie mereantur nostræ miseriæ. Passio tua sancta soli tibi concinnet æternitatis domicilium; inventio verò corporis, universæ nationi Anglicæ, tam incliti advocati diffundat patrocinium. Gaudeat Anglia et plenitudo ejus quod de se protulerit arborem in terris quidem secus decursus aquarum plantatam, et cimarum proceritate super cælos exaltatam. Gaudeant specialiter Deyri, qui regem suum in patronum suum commutaverunt, et de irâ Dei, ejus patrocinio erui meruerunt. Doleant Bernicii suo jugulo de medio sublatum humilitatis speculum, castitatis sacrarium, et triclinium caritatis. Discant pro malo bonum reddere, qui inventionis tempore propicium sentiunt pro meritorum exigentiâ, quem passionis articulo forantibus jaculis confoderunt, pro regis sui complendâ nequitiâ. Studeamus et nos cum Deyris gaudere, et cum Berniciis caveamus dolere; ut in omnibus agendis ejus patronam sentiamus clementiam, qui Domini Jhesu in nullis offendit voluntatem, largiente eodem Domino nostro Jhesu Cristo, cui est cum Patre et Spiritu Sancto sempiterna gloria. AMEN.

CAP. V.—Incipit præfatio de virtutibus et miraculis gloriosi et Sanctissimi Regis Martyris Deyrorum Oswini, quæ post ejus corporis revelationem longè latèque divulgata sunt, et quæ in maximâ veneratione habentur.

Ordinaturus miracula quæ Deus per Sanctum Deyrorum Regem et Martyrum Oswinum innovavit, exordium instituo à veritatis voce quæ dixit, opera quæ Sanctus Rex facit, testimonium perhibent de illo. Et ideo licet ejus vita nec ut decuit, nec ut meruit, stili est in lucem prolata officio; signorum tamen, à sæculo inauditorum ad ejus tumbam jugis exhibitio, in nullo dissidens à vero, privilegiati meriti ejus est attestatio. Contigere quippe potest, ut signis post mortem non choruscet, qui virtutibus choruscabat adhuc vivens; sed aliquem post mortem clarere miraculis, qui in vitâ non claruit meritis, nec legitur nec creditur. Et igitur celebris signorum per Beatum Oswinum innovatio, antiquorum patrum non levis accusatio, qui vitam ejus meritorum radiis innumeris præfulgidam sub detestandi silentii

modio recluserunt. Porro ne nos consimili impetiti crimine, damnationis justæ percellamur sententiâ, si tacuerimus quæ vidimus, vel quæ veridico relatu audivimus Sancti miracula, ecce in unum corpus colligimus, tam quæ scripta sunt ante nos, quam quæ scripsimus nos, Sancti Regis signa: ut sicut è speculo non nunquam representatur prius minimè visa imago, sic ex mirabilibus per Sanctum immutatis innotescat Sancti meritum, nullius scripturæ beneficio plenè ad nos devolutum. Multa quippe et magna celebri laude digna meruit, qui multa et inaudita laudabilia cotidiè facit. Sancti Melchisedech frequens est in prophetis mentio, et sanctis sacerdotibus proponitur ordinis forma, cujus vita nullo legitur calamo exarata; et qui morum est disciplina, de moribus ejus nulla est instituta disciplina. In nullo tamen derogat ejus auctoritati raritas scripti, cum Deus Pater juraverit dicens Filio, "Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech." Magnus quippe fuit, cujus ordo ordinis Cristi forma fuit, et in ordinis observantiâ omnibus antiquis patribus prælatus est, qui omnibus Sanctis in Cristo præpositus est imitandus. Sic magnus est et laudabilis nimis, cujus meritum etsi dispendia laudis senserit antiquorum silentio, experimento sui tamen exhibet, efficaci signorum et prodigorum eloquio. Igitur lectorem monemus, quatinus vitæ metiatur sullimitatem signorum innumerabilium celsitudine, et magis credat oculo signa videntis, quam calamo scribæ per neglectum incuriæ non nunquam vera dissimulantis. Oculus quippe si simplex fuerit, non poterit vel fingere quæ non viderit, reticere vera quæ viderit. Scriba verò qui in corde et corde locutus fuerit, quia inconstans est animo, mendax est in calami officio, vel invidus in silentio, vel utrumque in utroque, et ideo credendus est in neutro.

CAP. VI.—Incipiunt miracula quæ post revelationem sacri corporis ejus per eum facta memorantur. In primis, qualiter capilli ejus in igne probandæ virtutis suæ gratiâ positi, nichil corruptionis inde sustinuerint.

Cumque per universam Nordhanymbrorum provinciam revelandi Sancti corporis gloriosi Deyorum Regis et Martyris Oswini, in ecclesiâ beatæ Dei genetricis Sanctæ Virginis Mariæ de Tynemudtha fama percrebuisset, Thostiumque comitem ejusdem provinciæ, filium Godwini ducis Cantiæ, quomodo decentiùs id fieret, Ægelwinus Dunelmensis episcopus consuluisset, multi fidelium ad locum requietionis ejus festinantes, tanto spectaculo votis omnibus interesse cupiebant. Contigit autem ut Comitissa

præfati Comitis uxor, Judith nomine, pontifici ad ecclesiam jam properanti secreto mandaret, quatinus si, donante Deo, corpus Sancti Martyris eum invenire contingeret, quantulamcunque portionem inde pro benedictione reservaret, ut quia pro suo desiderio una cum aliis præsens esse non poterat, haberet saltem quod pro amore Sancti postmodum venerari potuisset. Venerabilis igitur Episcopus, cum sacratissimum corpus abluens ad caput pervenisset, devotæ petitionis Comitissæ non immemor, de capillis sancto vertici adhærentibus, piè præsumens, paucos accepit; quos eidem mulieri postea daturus, donec officium compleretur, devotissimè recollegit. Peracto itaque ministerio, Episcopus post psalmos et letanias Omnipotenti Deo gratias agens, populumque circumstantem benedicens, capillos sancti capitis, quod nunquam inpingnaverat peccatoris oleum, discessurus abstulit, quos Comitissæ nil aliud magnopere desideranti, adventumque suum hac de causâ sollicitè præstolanti, congaudens attulit. Quos summâ cum devotione et debitâ veneratione suscipiens, quantâ lætitiâ gestierit quantasque Deo gratias egerit, quantumque lacrimarum mulier devota præ gaudio fuderit, quis unquam mortalium linguâ seu calamo explicare poterit. Et quia juxta Pauli vocem, "Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentum," prædicta mulier capillos Sancti nullo loco conclusit, sed ignis purgatione prius probare disposuit, non ut in aliquo de ipsis dubitaret, sed ut Martyris meritum circumcirca per hoc latius....................rat enim de talibus scriptum, "Et capillus de capite vestro non peribit." O benigna temeritas, et temeraria benignitas! Nec mora. Accensus est itaque copiosus ignis in atrio, et impositis ignito lateri capillis, ab omnibus unanimiter ad Deum devotè funditur oratio. Mira res. Nil quippe citius pilo ignis odore consumitur, et tamen immissus à fervente undique incendio pilus non læditur. O mira rerum conversio! Neque enim ignis deficiente materiâ frigescebat, sed potius injectâ lignorum congerie magis ac magis exardescebat. Quid ergo dicemus—capillum durioris substantiæ virtutem assumpsisse, an ignem suæ naturæ ardore caruisse? minimè. Sed qui tres pueros camino Babylonis sanos et incolumes incedere fecit, ipse fidelis sui merito capillos ab igne protexit. Comitissa quoque rei magnitudine perterrita, solo prosternitur; lacrimosisque singultibus Deum Sanctumque Martyrem diutius exorans, quandoque tremens erigitur. Represso itaque incendio, populus, qui convenerant, Omnipotentem Deum mirabilem in Sanctis suis prædicans, ad propria rediit. Venerabilis vero femina capillos Sancti Martyris de loco incendii sublatos, in novo locello quem ad hoc

præparaverat, dictante pontifice, honore condigno recondidit, et maximam venerationem jugiter exhibuit.

CAP. VII.—Quomodo quidam capellanus qui in turri ecclesiæ ejus jacere minus religiosè præsumpsit, ejusdem præsumptionis pœnam mirabiliter in eodem loco præsensit.

Thostio Comiti prænominato fuit quidam capellanus, quem non singulariter unum, sed præ cæteris à secretis suis specialiter solum diligebat. Hic nonnunquam cum de more provinciæ instructa essent convivia apud Tynemudham, quia villula modica erat, et ad tot hominum genera, quæ Comitem comitabantur, suscipienda hospitio minus sufficiens, jussit sibi sterni lectum sub turri ecclesiæ in quâ Sancti Regis ac Martyris Oswini requiescebat reverentissimum corpus. Crapulatus itaque à vino revertens à curiâ Comitis in noctis crepusculo, sub turri jam dictâ ad venereos usus cum meretriculâ obscenè exercendos se accingebat ; cum ecce in ecclesiâ concussio parietum facta est, ut incontinenti omnis ecclesiæ machina ruitura formidaretur. Erat autem tunc temporis ante sepulchrum Beati Martyris vir benè religiosus vigilans et orans, qui capellano, timens ne dormiens ruinâ jam imminente opprimeretur, accurrit, ut excitet eum a sommo, et ex insperato invenit ad commiscendum cum scorto jam paratum. Et execrans stuprum, mulierculam zelo Finees succensus ab ecclesiâ ejecit continuò, et presbiterum increpatione duriori quod nec Deum timeret nec homines revereretur, spiritu Danielis castigavit. Et statim cessavit omnis tempestas. In hoc tam stupendo facto innotuit Sanctus Rex et Martyr Oswinus, quantum sit justus quantumque misericors, qui ex justiciæ rigore totam ecclesiæ machinam, quasi ad ruinam concussit ; sed ex misericordiæ lenitate, stupri flagitium ab operis executione prohibens, ruinam imminentem suspendit. Vir autem Domini qui meretriculam ab ecclesiâ projecerat, postea Dunelmi monachus factus, hoc miraculum sæpius narrare consueverat.

CAP. VIII.—De equo cujusdem militis in furiam verso, sed per pallam super feretrum ejus positam mirabiliter liberato.

Quodam tempore cum Rex ille victoriosissimus Willelmus, qui Normannis Angliam in manu forti subjugavit, cum exercitu valido a Scociâ reverteretur, circa locum qui nunc Novum

Castellum dicitur, quondam vero Moneccestre dicebatur, fixit tentoria super Tynam fluvium. Contigerat enim tunc temporis fluvium ipsum adeo esse dirivatum, ut transvadari nusquam posset, nec pontis qui modo cernitur, adminiculo pateret transitus. Hujus igitur necessitatis occasione, rex inibi nonnullam fecerat moram. Normanni vero de rapinâ vivere assueti, sibi et jumentis suis exhibitionem rapuerunt de locis circumjacentibus. Sed quia tantæ multitudini non sufficiebat paupertas loci, audientes apud Tynemudham depositam esse totius provintiæ substantiam, sub festinatione locum adeunt, ut inde rapiant sibi victui necessaria. Porro rex habebat tribunum militum Robertum nomine; cui fuerat multa turba indomabilium emissariorum. Hic cum vidisset eminus turrim ecclesiæ Beati Regis et Martyris Oswini, et de merito Sancti instructus esset a narrantibus, deferens Sancto, iter reflexit, inhibens omnibus suis ulterius procedere. Porro emissarii ejus eo nesciente, Tynemudham accelerantes, rapinis se onerant, et onusti anathemate ad exercitum regium reportant, et equis suis exinde apponunt ut comedant. Erat autem jam dicto Roberto equus carissimus, in quo residens, militaria exercere solebat, quotiens necessitas exigebat. Cui inter cæteros equos appositum est de rapinâ, ut comederet. Comedebant omnes avidè, quia fame diuturnâ præ ciborum penuriâ cruciabantur. Sed alii incontinenti moriebantur, alii in insaniam vertebantur. Insaniam namque diversis indiciis prodebant. Alii enim membra propriis dentibus sibi discerpebant; alii linguas sibi abscisas expuebant, et adpropinquantes quosque calce et morsu lædebant. Audiens ergo prædictus tribunus equum tam carum cum aliis in insaniam versum, indoluit; et causâ cognitâ, de pacandâ Sancti Martyris indignatione secum deliberavit. Pallam itaque quam habebat optimam sub omni celeritate Sancto destinavit, et super reverentissimum ejus corpus extendi præcepit. Mira res! Sub eodem momento quo palla sepulchro superposita est, et equus pristinæ sanitati restitutus est, et tribunus multimodâ lætitiâ repletus. Qui Sancti meritum prædicare non destitit, et rem gestam narrare omnibus, quibus nactâ oportunitate potuit, non tardavit.

CAP. IX.—Qualiter quidam miles de scopulis ruens cum equo, non solum vivus, sed etiam sanus inventus sit cum equo.

Aliud quoque miraculum prædicti Regis filii tempore contigit, quod ab eo in quo celebratum est, sæpius et pluribus narratum est. Direxerat rex Willelmus junior nonnunquam Nigellum de Albineio, magno et valido militum stipatum agmine, cum aliis

magnatibus suis, ad ulsciscendas injurias à Scottis sibi irrogatas. Redeuntes ergo, peracto ad votum negotio, ad Novum Castellum, deficientibus cibariis quæ in sarcinis suis secum detulerant, cœperunt egere. Locus quippe ille et circumjacens regio diebus illis, quia raro colebatur habitatore, ciborum copiam minimè habebat; et parum quod habebat, in præsidio Sancti Regis et Martyris Oswini apud Tynemudham depositum, propter exercitûs regii vitandos incursus latebat. Porro Nigellus prædictus, licet esset miles strenuus, erat tamen rapinam execrans, vir humillimus et timore sancto plenissimus. Deficientibus itaque quæ emi possent vitæ necessariis, ingruente inediâ, invitus permisit suos Tynemudham descendere ut vitalia perquirerent. Quibus illo pervenientibus, servi Dei inibi habitantes, cum corpore Sancti Martyris occurrerunt, in portæ ipsius angustiâ; obsecrantes humilius, ut ob Sancti reverentiam parcerent Sancti deposito. Erat autem quidam miles dictus Nigellus de Wast in comitatu illorum qui ad prædandum descenderunt, vir quidem timoratus, et prædicto Nigello de Albineio propinquus et carissimus. Qui videns Sancti corpus adesse, Sancto deferens, ut erat militaribus instructus, animum prædandi deposuit, et equum in quo sedebat ab introitu portæ reflexit. Tendensque manus ad cælum, vovit se non gustaturum de prædâ illâ dum Sanctus ei ignoceret, quod illuc animo prædandi venisset. Est autem locus arctus et præcipitio immanissimo imminens: præcipitium vero ipsum occeano imminens, multis et magnis scopulis plenum, etiam visui terribile et horrendum est. Rediens autem aliquis de prædonibus de loco sancto oneratus raptu sacrilego, et festinans egredi per portam in quâ Nigellus ex transverso substiterat, ipsum cum equo sui oneris impetu impedit incautiùs, et præcipitavit miserabiliùs. Atteritur clipeus scopulis, hasta proicitur, eques ab equo disjungitur, et sabulo tandem uterque, diversis tamen in locis, suscipitur et operitur. Quid plura? Meritis Sancti Martyris cui venienti miles detulit, illæsus servatus est, et eques et equus ad Sancti gloriam. Et extractus de sabulo, sublato equo impositus, remeavit ad dominum incolumis; narrans cum summâ devotione, quæ in ipso mirabilia gesta sunt, meritis Sancti Regis et Martyris Oswini.

CAP. X.—Quomodo raptores navium, pacem ejus violantes, quæ vim abstulerunt, submersi retulerunt.

Contigit aliquando feritate Scottorum regem eorum cum rege Anglorum Willelmo præscripto, cognominato Flavo, discordare, et ab ejus dominatione se suamque gentem velle surripere.

Unde ad indignationem motus non modicam, Anglorum rex ferocissimus, congregato exercitu, venit ad Novum Castellum, quod super Tynam fluvium situm est. Scotti quippe universam Nordthaymbrorum provinciam vastando peragrantes, Dunelmum venerant; et cum non esset qui resisteret, non pepercit oculus eorum ulli sexui vel conditioni: sed audientes regem Angliæ adventare, fugæ præsidio animas suas satagebant salvare. Rex itaque ut dictum est, videns mala quæ suæ genti intulerant, vehementius indoluit, et eos insequi otius properavit. Naves vero numero quinquaginta quas apud Occiduos Anglos triticeis mercibus onustas, Scotiam dirigi præceperat, in brevi in ostio Tynæ fluminis applicuerunt. Viri autem qui navibus inerant, quia rege proficiscente non erat qui eos cohiberet, regionem prædando percurrunt; nec rebus in præsidio Sancti Regis et Martyris Oswini depositis parcunt. Quædam quippe vetula, quæ gressus aniles baculo sustentabat, telam modicam texuerat, et omnem spem annuæ exhibitionis sibi in eâ constituerat. Hanc ei nauticus prædo de manibus ereptam abstulit, et navi secum intulit. Quæ flens et ejulans, ob reverentiam Sancti Patroni sui Oswini, sibi reddi telam suam multâ prece et miserabilibus lacrimis rogavit; sed eam et patronum prædo superbus despexit. Illa verò monasterium Sancti Martyris quo potuit annisu pervenit, et ibi Sanctum importunitate anili petiit, quæsivit, pulsavit, quatinus telam sibi redderet; et de cætero ei vindictam, ut hosti, retribuet commendavit. Deus autem, qui viduarum lacrimas non despicit, sed ab earum maxillâ dixit eas conscendere, meritis Sancti Martyris exaudivit lacrimosos vetulæ singultus. In crastino itaque, flante vento secundo, nautæ Coket perveniunt, videlicet insulam modicam, à Tynemudthâ quasi viginti milibus distantem. Quæ insula Coket fluminis ostio præjacens, ab eodem nomen accepit. Res mira, et meritis Sancti Regis et Martyris Oswini attribuenda: In summâ tranquillitate aeris cœperunt naves universæ in scopulos offendentes, sese invicem collidere, et fluctus absque ventorum turbine jam jam sævientes cœperunt nautas summergere, et omnes ferè absorbere. Et eodem die non solum corpora mortuorum, sed etiam omnia quæ rapuerant, infra fines de Tynemudthâ jactu maris ad idem litus revecta sunt. Incolæ tandem provinciæ qui ob Scottorum vel ob Normannorum occursus, declinando latuerant in terrarum seu silvarum abditis, securitate qualicumque receptâ, egrediuntur; et per litora casu dispersi, reperiunt omnia quæ amiserant. Nullo itaque nisi quod suum erat præsumente, prædo qui vetulæ telam diripuerat, in sabulo complexus ipsam telam, tam diù jacuit, donec ipsa vetula licet tardior adveniret. Quam lætior et alacrior tollens, insultavit mortuo prædoni dicens; " Hesterno die rogavi

te, o hominum crudelissime, et non audisti me: rogavi Dominum et Patronum meum, et audivit me. Ecce enim nesciens reddis, quam sciens rapuisti, telam meam; et quas vivus meruisti, mortuus luis pœnas gehennales, ipso Sancto jubente, quem in me contempsisti." Sic sic non nunquam mirabilius Sancti pulsantibus aperiunt, cum aures avertere à desiderio pauperum æstimantur. Heri importunis singultibus pulsavit vetula, et dissimulavit Sanctus Oswinus. Hodie desperatæ pauperi reddita est tela, et cæteris omnibus quæ perdiderant; et gloriosè magnificatus est, qui tam mirabilia operatus est. Per totam quippe provinciam, rege peracto negotio redeunte, celebri sermone vulgatum est verbum istud, et regi et omnibus primoribus ejus, Martyrque in condignâ reverentiâ habitus est.

CAP. XI.—*Qualiter die translationis ejus de veteri in novam ecclesiam, equus cujusdam hominis de scopulo in scopulum lapsus, non solum mirabiliter de immanissimo, quod subtererat, præcipitiô salvatus, verum etiam mirabiliùs, ut erat pedes vinctus, sursum sit revocatus.*

Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo, temporibus Henrici regis Angliæ præcellentissimi, filii regis Willelmi, qui Anglos Normannis in manu forti subdidit, dominus Ricardus, abbas ecclesiæ Sancti Albani Anglorum prothomartyris, preciosas Beatissimi Regis et Martyris Oswini reliquias, cum magno cleri tripudio in novam Sanctæ Mariæ transtulit ecclesiam de Tynemudthâ, ab ecclesiolâ ejusdem Virginis, in quâ corpus ejus sanctissimum inventum est; et de veteri feretro, quo diu continebatur, in novum honorabiliter sublimatum est, terciâ decimâ kalendarum Septembrium, die quâ et passus est. Interfuere etiam hujus jocundæ festivitatis jam duplicatis ut ita dixerim gaudiis, Ranulfus Dunelmensis Episcopus, dominus Hugo abbas Salesberiensis, non sine religiosâ monachorum vel clericorum multitudine. Quantum autem promiscui sexûs ac diversæ ætatis populum, ad tantæ solemnitatis celebrationem famosa Beati Martyris gloria invitaverit, invitatos de diversis partibus congregaverit, parvitas nostra referre non sufficit. Ut enim Sancti Martyris merita gloriosa tunc etiam ex solito propalarentur, non sine divino nutu tot ac tantorum testimonia hominum affuisse credendum est. In quorum omnium fermè præsentiâ divinitùs declaratum est, quænam sint apud Dominum ejus merita, cur ipsâ die celebrantur festa duplicia. Cum enim jam dicti patres illud summæ devotionis et pietatis studio officium exultantibus animis peregissent, celebratisque missarum solemniis, plebs

gratulabunda ad mansionem quisque suam reverti haberent, hujusmodi miraculum contigit fieri, à nobis utcunque referendum. Quidam igitur indigena, qui et ipse ad festivitatem devotissimus advenerat, domum rediturus, properat, ad locum præter monasterium scilicet, est enim ibi planities herbis admodum vel flosculis læta, ubi equum suum cum aliis pascentem dimiserat, eidemque anteriores pedes (ut moris est) torti viminibus ne longius diverteret, firmiter præpedierat. Equus vero dum uberiores herbas detonsis prioribus quasi fugientes decerpendo avidè prosequitur, subito ruit de scopulo. Ruit inquam sed eruitur, sed de ruinâ non læditur. O mirum miraculum! Neque enim animal illud non solum aliquid pertulerat læsionis, verum etiam securum gratos quos indoctè quæsierat pastus, supra quoddam ipsius scopuli labium in mare protensum, carpebat. Quem cum dominus ejus inter alios pascentem minimè repperisset, stat attonitus; ac diligentiùs huc illucque requirens oculis, timet ne fortè dum colligatis pedibus ad inferius prospecta malè descenderet pascua, lapsus ad ima perisset. Sunt namque ibi, ut nescientibus loquar, scopuli altissimi, horribiliter ruinosi et ardui. Accedit igitur, et ad infima tremebundus et anxius speculator despiciens, videt equum super molem quandam ut præmisi stantem, et nullam omnino tantæ ruinæ passum læsionem. Quo viso, miratur vehementer et dolet, videns enim quadrupedem suum procul à se in immani præcipitio sepositum, rehabendi penitùs humanum desperat auxilium. Mox igitur rediens, ad se vir talia fatur. "Deus omnipotens, quia tui solius est omnia posse, redde mihi equum, restitue mihi jumentum meum." Et conversus ad monasterium, vociferans hæc dicebat; "Sancte Oswine, Martyr Dei preciose, succurre mihi hodie, et meritorum tuorum suffragiis, equum meum ab imis revoca, à periculo mortis imminentis libera. Tu siquidem, Beate Martyr, eum meritò habes reddere, a te illum requiro, quem ad limina tua ob honorem geminatæ lætitiæ sollennitatis devotus adduxeram. Fac igitur et extrahe potentialiter sursum, quem constat tuis meritis inter pendentes scopulos mirabiliter esse retentum. Alioquin, tristis hodie vado, jam non amplius, quod tuâ pace dixerim, ad tua festa regressurus, nec electum Dei te Martyrem deinceps professurus." Hæc autem illo simpliciter prosequente, videntibus multis qui audito eo illuc accurrerant, et equo funibus injectis frustra subveni nitebantur, equus ille nescio quo indicibili modo vel ordine, ut erat vinctus pedes, ad superiora revocatus, et domino suo illæsus redditus est. Quo recepto, laudes et gratiæ Deo Sanctoque Martyri ab universis multiplicantur.

CAP. XII.—De subitâ ægritudine cujusdam famuli, quam ex præsumptione meruerat; qualiter ab eâ per ejus merita sit sanatus.

Est etiam aliud laudabile miraculum, quod eodem referente, in quo vel de quo tunc per Beatum Regem et Martyrem Oswinum factum est, verum esse dicimus. Posterâ namque festivitatis translationis die, venientes duo famuli ad locum ubi in antiquâ Sanctus pausaverat ecclesiolâ de Tynemudtha, jubente edituo et cooperante, quasdam ligneas columnas asportare debebant, quæ preciosæ margaritæ dulce pondus sustentaverant. Cumque Frater ille et famulus, qui natu major esse videbatur, suppliciter orâssent, quatinus id operis dignè et absque laboris gravamine perficere possent, accedunt; genua flectentes, et pro Martyre loco ipsi reverentiam exhibentes. Alter vero famulus indiscretè agens, ut assolet illa ætas, erat enim junior, quemadmodum alii fecerant, supplicare ac humiliter eos coadjuvare neglexit. Arrepto itaque ligno terræque altius infosso, præsumens de vigore proprio irreverenter jocabatur, et satis incassum abstrahere luctando conabatur. Nec mora: præsumptionis suæ percellitur pœnâ, subitâ enim valitudine tactus, corruit in terram, dicens se ad mortem infirmari, nec jam amplius posse operari. Et adiciens astantibus loqui, "merito," inquit, "hoc patior, utpote præsumptor insulsus, nullumque Sancto Martyri honorem deferens. Unde fit, ut tanquam malleo frontem percussus à capite usque ad pedes, totum corpus miserabilis doleam. Sed orate quæso mihi, supplicantes Deo et Sancto Martyri ejus Oswino, ut insipientiæ meæ venia, et corpori sanitas tribuatur." Fratribus itaque pro eo Deum et gloriosum Martyrem deprecantibus, homo ille paterno correctus flagello cum lacrimis pœnitens, ipsâ die sanatus est, et cum aliis operans opus incœptum alacriter exegit.

CAP. XIII.—Quomodo quædam femina Dunelmi officia omnium membrorum dextræ partis per eum receperit, quæ ex diutinâ infirmitate prius amiserat.

Sequenti vero anno, quædam femina, quæ in Dunelmi civitate multis annorum curriculis mansisse, et ab omnium dexteræ partis membrorum officio destitutam fuisse dinoscitur, meritis Sancti Regis et Martyris Oswini ab infirmitate suâ tali ordine liberata est. Licet enim oculos satis vegetos ac clarè videntes habere videretur, unius tamen lumine omnino privata, nichil inde

per decem et septem annos viderat. Manûs quoque valitudinem adeo perdiderat, ut nec digitos extendere posset, nec pugni ejusdem vola à molestiâ unguium eam miserabiliter perforantium secura esset. Nec jam solùm non auxiliabatur corpori suo manus illa præmortua, verum etiam sibimet ipsi graviter nocebat. Pede nichilominus arefacto ac deformiter recurvato, ita toto corpore mulier hæc inutilis facta erat, ut nequaquam sola se de loco movere, nusquam nisi baculis sustentantibus progredi posset. Quâdam igiter nocte post solitas preces lacrimasque Domino fusas, in lecto suo dormitanti, quidam miræ pulchritudinis homo purpuram vestesque regias indutus, prout sibi videbatur, astitit dicens. "Surge mulier, mane facto, et ad villam usque, quæ Tynemudtha dicitur, quomodo poteris pervenire labora. Ubi in ecclesiâ Beatæ Virginis Mariæ requiescit Sanctus Rex et Martyr Oswinus, cujus venerandæ passionis et translationis festa post tres ebdomadas annuâ devotione reiterandæ sunt. Ibique meritis ac precibus ejusdem Deo digni Martyris habes sanari, nisi credere et ad festum venire tardaveris." Nec plura locutus, disparuit. Evigilans itaque femina, et ob hujusmodi vocem exhilarata, utpote recuperandæ salutis cupida, orto sole facta est omnis moræ nescia. Cumque bacillis innixa vultu cernuo, illo suo more repere potius quam procedere pararet, ilico divinitus ut fatendum est adjuta, solito se alacriorem, et ad pergendum firmiorem fuisse asserebat. Nequaquam tamen ad præfatum monasterium, quod non multo plus duodecim miliariis a Dunelmo civitate distat, ante tres septimanas incommodi nimietate detenta, pervenisse valuit. Cumqe vix peracto itinere ad Tynam fluvium pervenisset, vidit hominem in litorali naviculâ residentem, et tanquam eam diligenter ibi præstolantem. Qui dicit illi. "Visne hac transire?" Cui illa, "volo" inquit, "ac supplex id deposco." Et accedens, intrat lembum et transeunt. Quæ cum audisset Beatissimi Regis et Martyris Oswini solemitatem in crastino die esse celebrandam, non mediocriter gavisa ad monasterium properat. Et ne à multitudine hominum, gratiâ festivitatis eo undicumque affluentium, premeretur vel inquietaretur, factâ oratione ad sepulchrum Sancti Martyris, prudenti consilio secessit in locellum quendam ecclesiæ; ibique separatim orationi vacans, et Dei misericordiam cum silentio expectans, suspiriis ab imo pectore ductis, plorabat, geminas tendens ad sydera palmas. Populus autem innumerabilis circumastabat, et Domino supplicabat, ut eam sui Martyris precibus et meritis sanare dignaretur. Quid moror in multis. Tempore jam vespertino propinquante, cœpit mulier sanitatem recipere. Mox ergo Dei virtute mirabili mirabiliter operante, corpus diu contractum ossibus et nervis perditam vim recipientibus, mirum

dictu, præ nimio dolore multum sudoris emanans extenditur, ac soliditati pristinæ receptâ sospitate restituitur. Oculus namque detersâ caligine illuminatur. Manûs quoque valitudinem, immo totius dexteræ partis corporis sui sanitatem mulier promeretur. Flent universi præ gaudio. Præcipui illi gaudent et exultant, vicini ejus scilicet et concives, qui eam diutissimè infirmatam noverant, et infirmatæ multis in necessitatibus subvenerant. Pii inquam diuturnæ consolatores infirmitatis, fiunt idonei testes receptæ sanitatis. Quid plura? Clamare cœpit populus, et dicere. "Verè mirabilis Deus in Sanctis suis, verè Sanctus in operibus suis." Martyris meritum prædicatur, fides mulieris collaudatur. Quæ per dies octo morata in monasterio, post redditas Deo et Sancto Martyri gratias, incolumis et læta orationis causâ in Scothiam porrexit; jure reddens Domino sanata, quod infirmata noverat.

CAP. XIV.—Qualiter quidam, Arkillus nomine, de ejus ecclesiâ de Tynemudthâ ab alto præcipitatus, infra paucos dies incolumis ad cœptum opus rediit.

Eodem quoque anno in die festivitatis Sanctorum Martyrum Mauricii sociorumque ejus, vidimus plures qui affuimus, et videntes doluimus, operarium quendam Arkillum nomine, hominem corpulentum, de altissimâ cujusdam partis basilicæ nostræ de Tynemudthâ statione super grandes et acutos lapides ita corruisse, ut et caput ejus frangeretur, ac penè toto corpore colliso expirâsse videretur. Cumque ad eum venissemus, et de ejus salute vel vitâ diffideremus, tandem Deo propicio respirans oculos aperit, quasi morte gravatos. Nec mora: loqui potuit, et post triduum melioratus, fratribus Deo Sanctoque Martyri suo Beato Oswino inibi deservientibus, orationem pro eodem facientibus, intra paucos dies incolumis ut ante operari cœpit. Valdè igitur mirari possemus, fratres karissimi, hominem hunc, tam graviter lapsum, tam celeriter saluti pariter et operi restitutum, nisi Beatissimum Regem et Martyrem Oswinum pro eodem operario suo apud Deum intervenisse procul dubio sciremus. Scimus autem, quod et majora his frequenter, per ejusdem Sancti merita Deus operatur. Quid enim preciosissima martyrum gemma in cælesti beatudine refulgens, apud glorificatorem suum non optineat? Merito ergo ab omnibus Sanctus iste prædicetur, timeatur, honoretur, per quem dator omnium bonorum Deus, et pro quo tanta operari dignatur; cui gloria in secula. Amen.

CAP. XV.—Quomodo idem artifex a fantasticis illusionibus per Eum sit liberatus.

Per idem fere tempus, eundem fratrem Arkillum, qui nunc usque superest, diabolus humanæ salutis inimicus ac totius bonitatis adversarius, quia vigilantem satis non prævalebat, vel dormientem fantasticis illusionibus inquietare consueverat. Quâdam etiam nocte dum frater ille in stratu suo requiescens somnum caperet, adest temptator solitus, parvulum simulans Æthiopem, dorso fratris illius, prout sibi videbatur, graviter inhærentem. Cumque diutissimâ eum oppressione maliciæque suæ ponderosâ mole procaciter afflixisset, visum est fratri quod tandem injectis à tergo manibus virili eundem annisu parvulum arripere, et quasi per minutias totum confringens, in ignem sibi, proh nefas, minantem proiceret. "Vicisti me" inquit "vicisti, sed noveris te ob hanc injuriam grave crurifragium in proximo esse passurum. Ambo etenim crura tibi in crastino talionem rependens perfringi faciam." Ad quem frater "De me," ait, "voluntas Dei fiet, verum tamen tu modo prius ardebis." Sic sic nimirum fraudes Sathanæ à dormientibus quoque nobis relidi possunt et respui, si dum corpore vigilamus, non dormientibus peccatis, sed Dei præceptis invigilantes, eidem adversario nostro sobriè ac fideliter resistamus. Unde Beatus Petrus admonet dicens. "Estote prudentes, et vigilate in orationibus. Et sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. Cui resistite, fortes in fide." Sobrius profectò vir iste vigilare, et adversario se devorare quærenti fortis in fide resistere noverat, qui et ignis adustione de illo tam pulchrâ triumphat visione. Et aptè quidem malignæ inflammationis spiritus tanquam flammis ultricibus perire videbatur, qui scilicet ad hoc venerat; ac velut latrunculus posterioribus fratris illius fraudulenter inhæserat, ut in eo flammas accenderet vitiorum. Sed propitiante Deo quod frater ille verè, ut præmisimus, simplex et innocens non accederat, in se Domino protegente non arsit. Triumphato igitur et in somnis ita confuso hoste nequissimo, frater evigilat; vehementer quidem diabolicâ læsus compressione, sed de victoriâ et hostis sui licet imaginariâ lætatus dejectione. Terris interim redditâ die, frater non immemor visionis nocturnæ armat frontem signo crucis salutiferæ, et ad opus consuetum (est enim carpentarius monasterio satis utilis) summo mane festinat. Quid multa? Adest frater operaturus, adest et invisibilis inimicus, in fratrem, si valuerit, fortiter vindicaturus. Incipit monachus operari, diabolus insidiari. Insudat iste pro viribus labori et obedientiæ,

invidet ille fautor inobedientiæ. Laborant uterque, sed multum diversè. Frater, ut incœpta proficiat; adversarius, ut eum deiciat. Iste ut proficiat, ille verò ut officiat: quod et sequens rerum astruxit eventus. Cum enim frater jam dictus super trabes ulterioris partis dormitorii fratrum, quod tunc temporis operabatur, staret, quatinus scilicet solium sicut fieri solet de lignis quibusdam latioribus et spissis, artificioso inibi collocaret ordine, forte alias intendens, sinistro pede incautius posito, pariter cum ligno quodam grandi quod malè calcaverat, ad ima delabitur. Longè tamen aliter quam spiritus mendax prædixerat, benignus Deus de dilecti sui Sancti Regis et Martyris Oswini servitore deliberarat. Licet enim quibusdam fortasse peccatis exigentibus morti vicinam incurrisse videretur ruinam, utpote qui solo tenus inter saxa et ligna hic inde posita, casum altitudinis pedum undeviginti et eo amplius fecisset; tamen Deo opitulante, per Sancti sui Martyris solita suffragia, non solum os ejus nullum fractum est, sed nec quidem cutis extremitas præter solitum pedum valitudinem (pedes enim sæpe dolebatur) aliquatenus læsa est. Cumque ejusdem cooperatores flentes accurrerent, ut corpus quod jam elisum credebant et exanime, citius efferrent, vident eum ubi ruerat sedentem, pedesque dumtaxat supra quos ceciderat, solito gravius dolentem. Et lacrimantibus illis, ac super his quæ videbant, non parum stupentibus, alacriter ait; "Nolite timere, sed securiores redite; et ad sepulchrum Beatissimi Patroni nostri me deferte." Et allato eo in claustrum valdè condoluimus ejus læsioni, quoniam ab omnibus nobis pro morum benignitate suorum plurimum diligebatur. Nobis igitur fraternâ sibi caritate compatientibus, et qualiter se haberet inquirentibus, respondit dicens; "Vestris orationibus, bene fratres. Tantâ etiam animi corporisque per Dei gratiam et nostri Martyris auxilium sospitate vigeo, ut et nunc quemadmodum heri et nudiustertius operarer, nisi solâ pedum allisione prohiberet. Est siquidem quod solum timeo, ne maligni spiritûs præsagium, quod hac in nocte per somnium audivi, verum sit." Et referens hoc per ordinem quod viderat somnium, "minatus est," inquit "etiam mihi diabolus, quia hodie ambo crura mea frangeret, utrum autem verum (quod absit) an falsum, ut assolet, dixerit, adhuc incertum habeo." His auditis diligentius eum attrectantes, et nullam ossium ejus fracturam reperientes, laudibus et gratiis de insperatæ evasionis beneficio Deo omnipotenti redditis, ad sepulchrum Beati Martyris eum sicut rogaverat detulimus. Cujus meritis et precibus pro famulo suo apud Deum intervenientibus, et periculo mortis eundem constat esse salvatum, et pristinæ saluti pariter et operi reparatum.

CAP. XVI.—Qualiter in ecclesiâ ejus mulier de territorio Dunelmensi à renum languore, quo laborabat, sit sanata.

Illud etiam fert animus litterali commendare memoriæ, quod in sequenti anno laude plenum et fide factum agnovimus miraculum. Absurdum enim et indignum videtur, ut quantum Omnipotens Dominus per gloriosum Regem et Martyrem suum Oswinum operari dignetur, à nullo vel aliquatenus scriptum memoretur. Unde quia nullus est qui id operis propensiùs exequatur, nos piè præsumentes, et de meritis ipsius Beati Martyris et obædientiâ confidentes, eligimus de virtutibus ejus et miraculis aliquid qualitercumque quam nichil omnino scribere. Igitur quædam mulier in territorio Dunelmi civitatis degens, ac multo ex tempore gravi renum valitudine, contracto corpore inclinata manens, ita ut nequaquam erecta, nec uspiam, nisi baculis suffulta, procedere posset, ad festivitatem jam dicti Martyris licet incommodo tali prædita, qualiter tamen potuit, venit. Cumque in ecclesiâ Beati Martyris posita, spe recipiendæ sanitatis intentissimè cum lacrimis orâsset, quia fideliter oravit, eam nimirum miseratio divina juxta fidem suam nil votum morata, ab omni infirmitate suâ per gloriosi Martyris merita liberavit.

CAP. XVII.—De muliere ægrotante cui Sanctus Martyr in somnis apparuit: qualiter juxta verbum ejus saluti sit reddita.

Sed neque hoc silentio vel oblivioni tradendum est, quod in eâdem Sancti Regis et Martyris Oswini mansione, hoc est Tynemudthâ, alia quædam innocentis vitæ matrona in viduitatis proposito à diebus multis laudabiliter vivens, hujuscemodi jocundâ visione lætificare promeruit. Cum enim die quâdam, gravi tacta incommodo, vehementer infirmari cœpisset, simplici femineoque ducta consilio trinam dedit sortem, ubinam in ecclesiâ Sanctæ Dei genetricis Mariæ pernoctaret, quo ab ingruente citiùs liberaretur ægritudine. Evenit itaque sortis inditio, ut ad basilicam ejusdem villæ vigilatura divertere deberet. Nocte verò sequenti ob valitudinis molestiam domi remanens, cum menbra sua sopori dedisset, apparuit ei Beatissimus Rex et Martyr Oswinus; vultu, voce, et habitu, mirabiliter gratiosus; hæc dicens. "Cur" inquit "alias, si sors ita caderet, quam ad sepulchrum meum sospitatem quærere delegeras, quæ nec prorsus inde sortes fecisse, nec de alio loco melius sperasse debueras? Hic siquidem gloriosæ Dei genitricis altare quod alibi quærere disposueras, et corporis mei præsentiam habes.

Ego enim sum Rex et Martyr Oswinus, qui tibi apud Deum patrócinari sufficio." Quibus dictis, mulier insolitæ visionis fulgorem vix sustinens, ita sibi voce quidem tremulâ, flebilibusque suspiriis respondisse videbatur. "Peccavi domine mi, fateor peccavi; miserere ancillæ tuæ miserabilis." At ille: "Valde" inquit "displicet mihi, hoc indiscretæ simplicitatis tuæ consilium. Noveris igitur quia modo quidem nequaquam morieris, verum tamen durâ præsentis molestiæ flagellâ patieris. Cum autem Dei clementiâ melius habere cœperis, vide ut ad ecclesiam in quâ corpus meum requiescit veniens, ante sepulturæ meæ locum, cum devotione noctem ex integro vigiles; ibique plenariam corporis tui recipies sanitatem." Et his dictis, à præsentiâ sublatus est mulieris. Mulier vero dum quasi ad Beati Martyris disparitionem flens et ejulans, qualiter in somnis fieri solet, graviter ingemisceret, suscitatur à familiâ; et quidnam habuisset requisita, refert quæ viderat. Igitur evolutâ dierum paucitate sicut audierat, à suâ convalescens infirmitate debita vota devotionis Deo Sanctoque Martyri persolvere studuit, et in eâdem quam diximus villâ plurimos postea vitæ dies et incolumitatis habuit.

CAP. XVIII.—Quomodo quidem præsbiter à fetore, quem sanies cujusdam vulnerati evaporabat, in infirmitatem pariter et cæcitatem incidit, ante ejus feretrum visum et sanitatem recepit.

Quidam presbiter, Osbernus nomine, aliquando vicarii functus est officio in ecclesiâ de Tynemudthâ; et postea capellæ de Hortunâ minister extitit. Tempore igitur illo quo in Tynemudthâ divina celebravit, ad visitandum quendam de parochianis suis caput lætali vulnere fossum, die quâdam accessit; et residens ante vulneratum vix ultimum spiritum trahentem, quia corpori non potuit, animæ saltem mederi studuit. Et dum sermonem exhortatorium de confitendis peccatis ad eum faceret, ecce qui vulnus primum inflixerat, furiâ vectus accurrit, et gladio, quem strictum et evaginatum tenebat, vulnus in idem geminavit; et nec Deum timens, nec reverens hominem, in præsentiâ sacerdotis assidentis, mortem urgebat morientis. Mox receptoriâ cerebri testâ ruptâ, fumum tenebrosum et fœtorem tabidum largiter emisit, et Osberti oculos incontinenti quasi quâdam cæcitatis squamâ operuit, et inter cæteros sensus ejus intolerabilem exalavit corruptionem, omnium penè sensuum destituens officio. Astantium vero turba videns et condolens, durè detentum rapit sacerdotem, et aeri corrupto subtrahens, quantâ potuit celeritate ad proprii hospitii defert officinam. Ubi tria dierum

lustra decubans, jugi cæcitate et omnium membrorum continuâ cruciabatur ægritudine. Et medicis desperatis, jacebat quasi in extremis agens. Ad quem mater talia fertur hortatoria verba salutis fudisse. "Miserabilis fili, quid est quod in medicos omnem erogas substantiam, qui medicorum optimum Sanctum Regem et Martyrem Oswinum dominum tuum, habes præsentem. Ipse non pecuniam sed fidem languentium requirit. Recordare quot et quanta curarum beneficia etiam exteris et ignotis gentibus crebrius præstet; et crede quia tibi domestico suo, nisi fides modica demeruerit, non negabit, quod omni nationi de se præsumenti, tam facili quam celeri indulget pietate." His et similibus matris tandem adquiescens monitis, ad ecclesiam Sancti Martyris se deferri præcepit languidus, et ante Sancti altare deponi; ubi pariter et delatus et deferentes orationis instantiæ insistunt, et multa precum pariter et fidei constantiâ Sanctum Regem et Martyrem Oswinum pro salute desperati Osberni pulsant, et piâ importunitate fatigant. Tandem orationibus et vigiliis continuis fessi omnes, inibi obdormiunt præter Osbernum, quem jugis dolor somno indulgere non permittebat. Qui ut erat destitutus visu, et cæteris membris omnibus invalidus, palpando gressus suos dirigens ad orientalem partem scrinii, in quo Sanctus requiescit, pervenit; et pedes ymaginis Sancti Regis devotiùs amplexus, deosculari et desuper lacrimari non destitit, dicens Sancto, voce quidem satis puerili, sed fidei præsumptione senile, "Hos pedes tuos ymaginarios, qui veros tangere non merui, non dimittam, priusquam sanitatis optioni me restituas, Rex et Martyr Oswine piissime." Et ecce his dictis, quasi squamæ ceciderunt ab oculis ejus, et visum jam per quindecim dies amissum recepit; et omnis corporis molestia, quasi pulvis in ventum projectus, disparuit. Domum autem cum suis jam expergefactis lætus et sanus rediit; et virtutem Sancti Martyris in se tam misericorditer expertam, omnibus innotuit quibus potuit.

CAP. XIX.—De quodam incarcerato, per ejus merita liberato.

Tempore regis Stephani Angliæ, et Germani prioris de Tynemudthâ, contigit quod narro miraculum. Fuit Beato Regi et Martiri Oswino, puer quidam in arte piscandi gnarus, nomine Leowricus. Hic aliquando, instante allecium piscaturâ, gratiâ piscandi navem Sancti Martyris Scardeburgam direxit; et quia in capturâ piscium laxaverat retia, et parum prendiderat, dum moram nonnullam ibi faceret, Comes Cestrensis Rannulfus

ummo mane superveniens, die quadam villam ipsam armatâ manu confregit, et rapinis vastavit. Inter cæteros igitur capitur Leouuricus, et Maltonam in vinculis ducitur in vigiliâ apostolorum Symonis et Judæ. Recumbente vero illo, qui eum cæperat, cum suis in ipsâ vigiliâ, et reficiente se et suos carnium edulio, Leouwricus et socii, qui cum eo tenebantur captivi, carnium escas execrabantur. Indignatus itaque tyrannus, jussit eis pisces apponi, et dixit eis; "Edite nunc et saturemini, quia cælum testor et cæli numina, vos nichil à modo gustaturos, donec de summâ redemptionis vestræ constiterit apud me." Refectos autem incontinenti præcepit vestibus suis exui, et nudos cippo duriùs astringi. Occupanti verò vestes eorum conceduntur. Ibi totam ebdomadam jejunii exigunt. Dehinc tormenta tormentis desæviunt. Innexis funibus in manus eorum, ad trabem suspenduntur, inde depositi flagellis acerrimis ceduntur, et ad ultimum cippo iterum constringuntur. Inter hæc Leouuricus non cessat inclamitare; "Sancte Oswine, adjuva me." Tirannus ad focum calefaciens se, et forte audiens Leouuricum Sanctum Oswinum incessanter vociferantem, affectus tædio, baculum quem manu tenebat, jecit in eum; et à clamore compescens increpavit, dicens, "Quid est, miser, quid est quod clamas, et aures nostras nescio cujus Oswini invocatione oneras? Quis est iste Oswinus, cujus te ope credis sine pecuniæ interventu posse liberari? Compesce linguam à clamore garrulo, nec nos importunitate tuâ hac nocte excites à somno." Nocte insecutâ, dormientibus omnibus, astitit dormitanti Leouurico, vir autenticus vultu decorus et cultu, qui et dixit ei. "Quid hic sedes Leouurice? Quid hic moram facis? Ocior surge, et ad ecclesiam meam, et ad natale solum impiger propera." Cui Leouuricus, tale fertur dedisse resposum: "Reverende domine, per me surgere nequeo, quia ligatis manibus ad tergum, pedes in ligno constrictus habeo." Cui Sanctus Oswinus. "Surge velociter, ne moreris." Et his dictis, disparuit. Evigilans itaque Leouuricus, et de visione lætior effectus, manus suas solutis vinculis liberas invenit. Sed timens ne à custodibus carceris auditum fuisset quod ipse audierat, recurvat brachia ad dorsum et iterum obdormuit. Non enim estimavit id se in visione videre, sed in collocutione. Et ecce secundò astitit ei Sanctus Oswinus, increpans ei et quasi commotus dicens: "Cur jussis meis non obtemperâstis? Nonne manuum vincula soluta sunt? Surge ergo et baculum quem sero tyrannus jecit in te accipe." Et pedes à cippo facillime extrahens baculum in se jactum manu sumpsit, et ad quoddam hostium, ex cujus transverso puer quidem equorum custos jacebat, pervenit. A cujus ostio seram leviter excussit; sed quia

nudus erat, et frigoris asperitas abire nudum non permisit, non amor rapinæ sed necessitas instantis fugæ, quæ à nudo exequi non potuit, dormienti puero cucullum nauticam eripuit: quâ Leouuricus indutus iter arripuit ignotum, et rediit celerius ad natale solum: et Deo et Sancto Martyri Oswino pro suâ liberatione stupendâ multimodas gratias egit, et per totam provinciam verbum tam admirandum celeri relatione in brevi divulgatum est.

CAP. XX.—Qualiter quidam ad feretrum ejus portandum indignus esse perpenditur.

Contigit aliquando Northanymbriam siccitati gravari diutiori, et illud propheticum gentibus illis videri minari; "Seminâstis multum, et intulistis parum." Itaque conveniunt in unum comprovinciales, et ad consueta prædia Beati Regis et Martyris Oswini confugiunt; rogantes fratres loci, ut in tantæ necessitatis articulo subveniant, et corpus Sancti Martyris ad postulandam pluviam evehant. Instante itaque Dominicæ Ascensionis celebritate, ex condicto Sancti Martyris corpus in processione portant; et ad tam pium onus sustinendum turbæ, quæ convenerant, alterius vicibus se inclinant; non ut fessi requie recreentur, sed ut devoti in vehendo Sanctum glorientur. Accurrit inter alios quispiam facinorosus, et se sancto oneri supponit. Indignatus Sanctus tanto se pondere fixit ut de loco in quo se Sancto supposuit facinorosus, ulterius progredi ferentes nullatenus possent. Alicujus itaque sollertiâ, deprehensa est insoliti ponderis causa, et amoto facinoroso, Martyr se permisit deferri facilitate solitâ; et præmisso judicio misericordia est adjuncta, rigatâ omni provinciâ ex pluviæ desideratæ inundantiâ uberi insecutâ.

CAP. XXI.—Quomodo quidam monachus à dolore dentium, pariter et tumore faucium, ante sepulchrum ejus sanus sit effectus.

In monasterio sæpe dicti Sanctissimi Regis et Martyris Oswini, frater quidam nomine Symeon de Huntendunâ, dentium dolore pariter et horrendo faucium tumore nonnunquam torquebatur acriùs; et dies jejunos et noctes insomnes ducebat, præ angustiâ doloris; qui crescens indies, non dabat misero fratri vel momentaneam requiem. Quid ageret vel quo se verteret nesciebat, cum omnium medicaminum experimenta dolorem lenire vel ad horam nequiret. Tandem ad patroni sui

præsidium confugit, et loculum ejus devotius deosculans, et ad faucium tumorem constringens, instantius pro sanitate suâ supplicavit, et incontinenti pro voto optinuit. Dolor quippe dentium ad osculum loculi statim effugit, et faucium tumor ad ejus tactum resedit; fratribusque tam citam valitudinem vultûs hylaritate pariter et faucium exploso tumore innotuit, et in Sancti Martyris laudem et amorem ferventissimum omnes accendit.

CAP. XXII.—Qualiter ad contactum lapidis qui loculum sancti corporis sustinent, Ruelendus prior ab infirmitate manûs suæ se liberatum senserit.

Relatu fratrum religiosorum qui interfuerunt, didici quod refero. In monasterio Sancti Oswini Regis et Martyris, erat quidam Prior nomine Ruelendus, manum cujus intolerabilis occupaverat infirmitas. Quæ infirmitas per dies singulos crescens, omnem manûs illius usum negaverat; nervisque stupentibus et articulorum officium negantibus, virum à missæ celebratione diu suspenderat. Condolens itaque sibi quod devotione solitâ frustraretur languoris occasione, ad thecam Sancti Martyris accessit; et orationem instantius fundens, lapidem amplexus est cui theca ejus superposita erat; et continuo ita subsecuta est sanitas, ut non prius idem manum amoveret, donec ad plenum per merita gloriosi Martyris pristinæ restitueretur sanitati.

CAP. XXIII.—De ignis materialis extinctione, et de fratre ab eodem incendio per eum liberato.

Cujus viri tempore Ruelendi, contigit domum quandam igne succendi et in favillam redigi, quæ domesticorum hospitum usui deserviens, in loco secretiori sita, fratrum refectorio proxima erat, et dormitorio contigua. Erantque pariter et domus præfata, et dormitorium, stipulâ cooperta. Eratque ventus non modicus partim ab occidente veniens, et domus ardens ad austrum posita, habebat ad aquilonem vix duobus passibus à se distans refectorium et totum corpus monasterii; ad orientem vero dormitorium, cui ut dictum est, erat et loco contigua, et stipulâ tecti simillima. Nox erat, et fratres jam matutinorum officia persolverant, et pausandi gratiâ ad strata sua redierant; unusque fratrum secretiùs ingressus dormitorium, et fumo repletum admirans, prospexit per fenestram; domumque contiguam accensam esse comperit, fratribusque festinanter nutu potius

quam verbo significavit. Qui stratis exilientes, et ad ignem concurrentes, domum totam interius accensam, flammamqne jam domata lambentem, et tectum penetrantem conspiciunt; et quid agant, vel qualiter impetum ignis retardent, non inveniunt. Pars tamen resilit, et dormitorii tectum insilit et ibi cum igne dimicat; pars vaga huc illucque discurrit, et ecclesiæ suppelectilem pro posse incendio surripit; pars ad Sanctum Regem et Martyrem Oswinum redit, et orationi insistit. Et Prior Ruelendus et Supprior Alquinus, techam Sancti Martyris in quâ ejus corpus reverendum collocatum est, evehunt, et in prato claustri reponunt. Ibique nonnulli fratrum cum lacrimis orantes, solius Dei et Martyris Sancti opem flagitant. Prior ipse nunc lacrimis obortis preces Sancto Martyri fundit, nunc altâ voce taliter preces confudit. "Sancte Oswine, quid agis? Domum tuam igne consumi permittis? Me tuo obsequio mancipatum, criminis reum facis? Meæ enim deputabitur incuriæ, hujus eventus miseriæ. Si Sanctus es, si amicus Dei es, in summâ necessitate subveni, et oppone te discrimini. Quid tardas? Quid cessas? Loco isto nec tu moveberis, nec ego. Simul nos ignis inveniet, simul in cineres rediget. Si monasterio tuo non parcis, parce corpori tuo. Si non parcis nobis quia peccavimus, parce tamen confitentibus quod peccavimus." Hæc et similia flens et ejulans dixit, corpusque Dominicum cito afferri præcepit. Cumque foris allatum fuisset, conversus ad Sanctum Oswinum. "Ecce" inquit "Deus noster Jhesus Cristus. Nos non meremur audiri, nec Cristum præsumimus precari; in articulo necessitatis te patronum exhibe, et pro nobis Cristum deprecare; ut quod nostris meritis non valemus, tuo patrocinio consequamur." Dixit; et ecce ventus nullus efficitur, et ignis qui jam lapides multos in dormitorio combusserat, et à maceriâ nonnullos excusserat, fenestras quidem ligneas et stipulam siccam tecti tetigit, sed nichil molestiæ intulit. Porticumque ligneam stramine tectam, tribus officinis, videlicet domui ardenti, dormitorio, et refectorio conjunctam, flamma vorax consumpsit; fidemque miraculo faciens certiorem, quibus juncta erat porticus, domos insiliit, sed à duabus velut repercussa resiliit. Et quasi intelligens in quam sibi potestas daretur, et in quas prorsus negaretur, porticu combustâ flamma velut obediens Sancto, lapides consumebat in dormitorio et refectorio jure naturæ, ligno et stipulâ parcebat dono gratiæ. Mirandis miranda succedunt. Frater quidem nomine Ricardus, ob defensionis causam tecto dormitorii insidens, incautè à quopiam aquæ jactu percutitur, et ad ima deicitur, sed in nullo læditur. Item insuper tectum idem resilit, et flagrante incendio, repentè per medium ejus labendo terram penetrans, ignis medio involvitur, sed nec tunc læditur. Quid

multa? Sola domus quæ constructa erat ad usum hospitum, sed jam usurpata ad abusionis officium, quasi rea et excessuum conscia incendio exponitur, et in nichilum redigitur. Et quia visa certiora videntur quam audita, rogatus à fratribus hæc posteris profutura scripto committere prius quam rogantibus parerem, veni ad locum in quo domus jam combusta sita fuerat, quam et ego oculis videram, vidique miraculi vestigia manifesta. Vidi namque maceriem et nonnullas fenestras ligneas dormitorii officio ignis denigratas, et loca lapidum in macerie vacua, quos ignea vis comminuerat et excusserat. Et eo fidentius scribere præsumpsi, quod non videram sed à fidelibus audieram, quo signa jam dicta videndo auditui fidem feceram.

CAP. XXIV.—Quomodo quidam cum bobus ad quadrigam junctis, de supercilio montis corruens, per eum à periculo mortis liberatus est.

Diebus jam dicti prioris Ruelendi, fertilitatis annona læta omnia horrea Sancti Regis et Martyris Oswini de Tynemudthâ repleverat, et adhuc seges superat copiosa. Metam itaque non modicam struunt sub aere, in rupis cujusdam eminentiâ quæ supereminet occeano. Ut moris est provinciæ, servi ecclesiæ, quos Bundos vocant linguâ maternâ, de jure operis sibi impositi, annonam in plaustris suis ad cœptam metam advehunt, et eam in brevi ex messis allatæ abundantiâ insurgere compellunt. Inter quos nomine unus Edmundus, dum bigam suam exonerare officiosius festinat, boves inquieti retro casu quodam gradientes, ipsam bigam frugibus onustam, cum ipso Edmundo præcipitio dederunt. Qui se mortis videns discrimini expositum, omni spe vadendi depositâ, Sanctum Oswinum ad suum adjutorium voce lacrimabili invitavit, et omnis familia quæ tam miserabili spectaculo interfuit. Mira res. Ruit de rupe pendente, et ad saxa collisus, et quasi cerebro excusso prius mortuus quam ad ima delatus, nec ipse nec boves ipsi læsionem ullam senserunt. Accurrit attonita spectantium turba; et Edmundum, quem expirasse crediderunt, famuli ut ad sepeliendum deferrent properaverunt. Veniunt ad ima præcipitii, et Ædmundum et boves ejus inveniunt absque ullâ membrorum confractione incolumes. Attollunt voces præ lætitiâ ad sydera et quasi redivivos reducunt ad superiora, Dei et Sancti Martyris prædicantes per totam viciniam magnalia.

CAP. XXV.—Qualiter miraculorum ejus recitator et compositor, repentinâ infirmitate percussus, ante ejus sepulchrum dum oraret dormire cœpit, sed evigilans sese sanum recepit; et alius ad hoc per eum admonitus, item ibidem à quâ tenebatur infirmitate liberatus est.

Ingratitudinis argui de jure potero, si in aliis celebrata signa virtutum scribens, silentii nubilo obumbrem quæ per Sanctum Regem et Martyrem Oswinum in me exercuit virtus divina. Fui aliquando per annum integrum et eo amplius in claustrâ de Tynemudthâ pro libero voluntatis meæ arbitrio, ut ibi semotus à negotiis ecclesiasticis, quibus apud Sanctum Albanum implicabar, et liberius commissa deflerem, et scriberem de otii indulti beneficio diligentius quæ animo conceperam. Contigit autem in solennitate Paschali, morbo, quem vulgariter guttam vocant, me gravari molestius, in eâ parte corporis quâ spina dorsi renibus conjungitur. Ingravescente vero dolore, quartâ solennitatis nocte adeo invaluit, ut à nocturnâ sinaxi in commune persolvenda me sequestrarerem *(sic)*. Completis vero extra chorum ut potui vigiliis sacris, intolerabilibus pungebar stigmatibus; impatiensque doloris, reptando potius quam ambulando, perveni ad tumbam Sancti Martyris. Et quia nec stare nec sedere nec jacere præ angustiâ spiritûs potui, volutando ibi matutinos gloriosæ Virginis Mariæ anxius exolvi. Porro Sancto Martyri ex affectu cordis confitebar quod culpis meis exigentibus patiebar, et tamen magis supplicabam pro corporis quam animæ sanitate. Quid multa? Cibatus pane lacrimarum, et orationis potatus instantiâ, ad lectum redii, non crebro sed dolore continuo tunc tortus, et tædio passionis fessus, tandem obdormui. Sed in brevi evigilans, nichil molestiæ sensi. Ita simul et tota dissipata est gutta, ut nec ulla ejus vestigia vel in renibus vel in spinâ dorsi mei remanserint. Surgens ilico, qui pridie incurvus eram, rectus et alacer incedebam; et ad celebranda divina, à quibus per triduum suspensus fueram, accessi, mirantibus fratribus et gratias Sancto Martyri agentibus, qui velut in ictu oculi de durè tam detento, tam promptum ad omnia exequenda reddidit. Post elapso non modico tempore, ægrotabat quispiam de domesticis nostris usque ad mortem; et desperan......dici, quia mortis signa in ægrotante concurre...........autem ad solita confugiens præsidia, Sanctum Regem...........deprecatus sum, cum lacrimarum uberi gratiâ remotus ab e.........rio per plurimorum spatia miliariorum, et convaluit æger die qu...funeri necessaria officiosè præparabantur.

CAP. XXVI.—Quomodo in die natalis ejus, cæteris ab omni opere servili vacantibus, seges cujusdam clerici, quam in horreum suum minaverat, cum ipsâ domo igne consumpta est.

Tempore quo monasterio Sanctæ Dei Genetricis de Wimundeham nomine Prioris præfui, contigit in villâ illâ quod narrare instituo miraculum. Die passionis Sancti Regis et Martyris Oswini, quia serenitas erat maxima, Rogerius quidam subdiaconus colligendis frugibus suis, cum omni familiâ ardenter insudabat; et in agro suo cum omni domûs circumstantiâ remoto, metam congessit de optimo messis suæ ordeo. Nec mora, ecce nocte insecutâ, Beatus Martyr Oswinus immisit ignem sulfureum in metam, et redegit in favillam; nec stipulam siccam extra metam positam, licet proximam, in aliquo tetigit vel læsit. In crastino ad messes suas properantes vicini, viderunt metam ardentem, et testes fuerunt ad populum, et celebri rumore divulgatum est in brevi, per omnes vicinas villas, verbum quod factum est de ordeo Rogerii; quem versatum mente, dissolutum actione, et ordini suo nec habitu, nec conversatione, in aliquo deferentem, omnes noverant: et ideo de ejus infortunio, Deum glorificabant.

CAP. XXVII.—Qualiter pro columbâ, quam quidam subter ejus feretrum præsumptuosè occidit, infirmitate correptus, cum se promitteret inde satisfacturum, sanus effectus, quod voverat neglexit, et item recidivivâ infirmitate defunctus est.

Puer quidam de domesticâ familiâ Roberti de Gorram, Abbatis de Sancto Albano, nomine Henricus, nonnullam moram aliquando fecerat in obsequio Gaufridi Prioris de Tynemudthâ. Hic die quadam assumpto arcu egressus est ad exercendum se ad occurrentium sibi signorum genera, et monasterium Sancti Regis et Martyris Oswini petiit, arcumque tetendit; et jaciens sagittam, in uno foraminum monasterii latitanti columbæ alam fregit. Quæ se læsam sentiens, foramine iter per mediam maceriam præbente, interiora templi adiit; et quasi refugium quærens, sub scrinio Sancti Martyris se occultavit. Porro juvenis lætus de innocentis avis læsione, portas monasterii pernici gressu advolavit; et perveniens ad tumbam Sancti, columbam inventam cepit, nec Sancto ad quem confugerat deferens, in ejus præsidio occidit, et secum abstulit. Sed ultio divina non defuit, quæ incontinenti juvenem in uno occulorum videndi officio

privavit. Parvoque intervallo, gravibus febribus unde venerat Sanctum Albanum rediit, quasi locorum mutatione febrium posset accessione effugere. Ibique per duos menses et semis durius detentus, ad extrema pervenisse videbatur; cum ecce Sanctus Rex et Martyr Oswinus in viso astitit mulieri religiosæ, in ægroti ministerio noctes ducenti insomnes, quærens ab eâ, "Putasne, mulier, dissolutionem corporis huic ægroto imminere?" "Utique, domine, domine," respondit, "Omnia quippe mortis signa concurrunt in eo." Ad quam Sanctus. "Et quare sic irremediabiliter torqueatur nôsti?" "Minime" ait "domine." "Quia apud Tynemudtham columbam, quæ ad tumbæ meæ refugium confugerat, violenter ibi occidit, et asportavit. Ego enim sum Sanctus Oswinus, qui apud Tynemudtham requiescere dinoscor. Sed si convalescere voluerit de febre quâ laborat, resipiscat de præsumptâ temeritate; et veniens ad tumbam meam, cujus violavit pacem, indignationem meam arceat à se condignâ satisfactione." Hæc dicens Sanctus disparuit, et mulier expergefacta languenti juveni visionem ex ordine retulit. Qui statim de commisso pœnitens, de satisfactione Sancto Martyri faciendâ humiliter compromisit, et febris eum continuo reliquit. Sanus effectus, promissionis immemor vel dissimulator, executioni mandare neglexit votum quod vovit. Qui iterum morbo correptus, in languorem decidit; et postremo cancer serpens superiora ejus occupavit, et oculum cujus visu apud Tynemuntham privatus est, à capite ejus evulsit. Et sic paulatim deficiens, ad extrema perductus est; et qui noluit cum posset, cœpit velle cum non posset Sancto Oswino satisfacere. Hujus miraculi auditor attendat, quantâ animadversione Sanctus Oswinus exardescat in eos, qui homines ad suam pacem confugientes exturbant, qui etiam volucrem in suo præsidio de medio sublatam, tantâ vindicavit districtione.

CAP. XXVIII.—Quomodo mulier, de sanitate per eum receptâ ingrata et incredula, iterum est infirmata; sed credens et confidens, mox sanitatem recepit.

In civitate Dunelmi, quædam vidua sonticâ laborans ægritudine in lectulo suo decubans, et fere desperata, tandem ad Sanctum Regem et Martyrem Oswinum conversa est, et de ejus miseratione multum confisa. Tandem votum vovit Sancto, et sanitati optatæ restituta est continuo. Appropinquante vero Sancti Regis passione, mulier ad solvendum votum se accingebat; et Sancti memoriam adire disponebat. Et ecce aliqua de vicinis suis organum Sathanæ suggessit ei, non meritis curatam

Sancti Martyris Oswini, et ideo ad votum solvendum non teneri. Dissimulavit itaque Sanctum adire, et incontinenti die ipsâ facies ejus ad collum est miserabiliter retorta, et facta sunt posteriora ejus, pejora prioribus. Impletâ tandem facie ejus ignominiâ, cœpit quærere nomen Domini, et præsidium Sancti Oswini, pro cujus contemptu misera se pati sentiebat, et contemptum pœnitentiâ resarcire vel sero satagebat. Quid multa? Tandem suorum et consilio et adjutorio, ad Sancti memoriam delata, ibidem in vigiliis et orationibus coram Martiris scrinio exacto triduo, sanitatis integritatem recipere meruit, ad laudem et gloriam ejus qui dixit, "Percutiam, et ego sanabo;" et qui per prophetam ad vota reddenda hortatur dicens, "Vovete et reddite Domino Deo vestro."

CAP. XXIX.—Qualiter altaris sui parramenta ab ignis incendio, per eum intacta permanserit.

Institor quidam Novi Castelli municeps, nomine Faramannus, Beatum Regem et Martyrem Oswinum affectuosè diligebat. In omnibus agendis de Gloriosi Martyris adjutorio præsumens, erat prosperè agens. Hic navem aliquando, variis mercibus onustam, ad Anglos Australes dirigere disponens, prius more solito Sanctum Martyrem adiit; et ejus præsidio se suaque commendans, candelam non modicam orbiculatim involutam, sacris altaribus accensam optulit. Inde in officinam sacristæ cum sodalibus divertens, rogatu sacristæ refectioni indulsit. Custodes vero monasterii in ejus obsequio occupati, et cum eo pariter refecti, candelæ super altare ardentis obliti sunt. Tandem unus eorum recolens luminis non extincti incuriam, accurrit ocior; et totam ut erat orbiculata candelam, et undique flammam inexhaustam repperit jacentem; et de altario raptim excutit. Sed altaris lintheamina ab ignis odore et læsione intacta conspiciens, miraculi novitate percussus, convocat cæteros custodes; et eis mirabilia non solum verbis innotuit, sed etiam oculorum inspectione vera esse comprobavit; et ad multorum notitiam in brevi Sancti Martyris meritum, ex tam stupendo facto pervenit. Miraculum quidem istud, quantum ad historiæ superficiem, non inferius eo quod Gedeon in areâ siccâ vellus videre meruit madidum.

CAP. XXX.—Quomodo quidam cum, ex officio sibi injuncto, boves Ejus capere deberet, cæcitate percussus huc illucque errabundus inter eos discurrens, boves quos tetigit, videre non potuit.

Potentium de Nordthanymbriâ potentissimus Odinellus de Umframvillâ, ad castelli sui resarcienda sarta tecta indebitis exactionibus vicinos suos compellebat; et inter cæteros maximè colonos Sancti Regis et Martyris Oswini. In ecclesiam quippe Dei, quia personam gerit pupillæ, ac si esset sine tutore, videtur potentibus seculi licere quicquid solet liberè. Ausum autem tanti sceleris fovebat impunitas; hinc quia Odinellus præpotens erat, inde quia filiam ejus matrimonio sibi copulaverat qui magistratus regios in Angliâ gerebat, cujus auctoritate talia præsumebat. Qui timorem ejus timebant, ad opus indictum conveniebant; sed coloni Sancti Martyris, quia regiâ munificentiâ à talibus edictis liberi erant, venire nullatenus consentiebant. Indignatur insolentius Odinellus. Et missis regiis nonnullis ministris, ut venire compellantur, sub interminatione præcepit. Porro quia in Sanctum Martyrem redundare creditur, quicquid injuriæ servis suis irrogatur, qui missi primo fuerant, deferunt Sancto; et, suspensis injuriis, amicabiliter divitis edictum eis exponunt, et de minis interminatis modestè pauca sujungunt. Sed nec sic homines Sancti ire adquiescunt. Erat autem in Colebrigiâ civitate satelles regius, qui nec Deum timebat, nec Sanctum Oswinum reverebatur, cui suggestum est ab Odinello, qualiter dignitas Sancti Oswini redundaret in contemptum sui mandati, dicente: "Omnes vicini mei, vel amore tracti, vel timore coacti, veniunt ad castelli mei reædificationem, præter homines monachorum de Tynemudthâ, qui latitant hic sub alis meis; quibus [*si?*] injecero manus, non est, qui eripiat. Ea propter adjuro te, per fidem quam regi debes, quatinus violentâ manu possessiones rusticorum de Wilum invadas, et in castellum meum inducas." Qui statim assumptis secum Ricardo et Nicholao, qui et ipsi ministri erant regis, sed timorati, in spiritu furoris sui venit Wilum, villam Sancti Oswini haud longè distantem à situ castelli. Vim autem legis optinet in Angliâ consuetudo longæva hujusmodi, ut siqui in solvendo vel in operando quod eis justè impositum fuerit cessaverint, primo per mobilium suorum captionem cogantur ad exequendum impositum; secundo, per immobilium; tertio, per corporum suorum incarcerationem. Et nichilominus consuetudo non inferioris vigoris, ut si dominus cessaverit ab imposito, prius ad servile peculium, quam ad dictam possessionem invadendam, exactor recurrat. Minister autem ille, de cujus tyrannide Odinellus præsumebat, non legibus

publicis deferens, non instituto vel consuetudini regni morem gerens, venit, ut dictum est, Wilum, laxaturus manus in capturam mobilium quæ sibi prius occurrerent. Prohibebant eum qui cum eo venerant, Ricardus et Nicholaus, viri timorati, à dominico Sancti Martyris armento; opponentes tum titulum jam dictæ consuetudinis, tum reverentiam Sancti Regis et Martyris. At ille cum sociis refectus, incuriâ Sancti, nichilominus furore quo prius latus, passim et sine dilectu quod prius occurrerit capturum se cum juramento affirmat. Factumque est ut ad pascua pariter venirent, ubi dominici boves illius villæ pascebantur; et videntibus Ricardo et Nicholao boves pascentes, et puerum minantem, audientes etiam canem horridum, satellitem horridè solum oblatrantem, ipse dux nephandæ captionis, nec boves vidit, nec canem audivit. Ibant autem in ipsis pascuis huc illucque et revertebantur sæpius, et in tantum armento pascenti propinquabant, ut equitantium pedibus tangerentur, et pulsibus Ricardi et Nicholai boves à transitu quærentis eos ambigerentur; nec in eundo vel redeundo à ministro regio visi sunt. Cæcitas nimirum, quam Græci aurisiam seu abrasiam dicunt, quæ Sodomitas percusserat, ne ostium domûs Loth invenirent, hunc iniquitatis ministrum tetigerat; et ad tempus à visu pariter et auditu, non omnium quæ videri et audiri poterant, nam socios suos et videbat et audiebat, sed eorum quibus damna inferre proposuerat, optinente Sancto Oswino suspenderat. Egressis autem illis terram Sancti Martyris, "Miror" inquit satelles ille, "quo devenerint armenta vel greges hujus villæ. Nunquid alicui revelâsti causam adventûs nostri? Nunquid ex consciencià nostrâ à pascuis remota sunt quæ capienda venimus armenta?" At illi qui cum eo comitabantur, "De quâ" inquiunt "loqueris villâ? Nonne jam elongati sumus à Wilum, quingentis fere passibus? Nonne vidisti dominicos boves in suis pascuis pascentes? Nonne puerum subruffum minantem eos vidisti, et cum eo canem te solum acriter oblatrantem audisti?" "Minime," inquit "vel vidi vel audivi quem dicitis." Illi autem estimantes quod dissimulasset omnia, tertiâ vel quartâ die in comitatu apud Novum Castellum habito cum secretius et districtius super his convenerunt, et ille cum juramento testabatur, se nec vidisse nec audisse quæ illi perhibebant. Divulgatumque est incontinenti per Comitatum, deinde per totam Nordthanymbriam, verbum hoc quod fecit Dominus; et ostendit nobis timoratis ad glorificandum Deum, obstinatis vero ad timendum Deum et reverendum Sanctum Regem et Martyrem Oswinum. Horridus autem satelles non addidit ultra prædam in terrâ Sancti Martyris, vel namum, ut ita dicam, repetere; immo à visu monasterii Sancti, nonnullo tempore

abstinuit, donec respectus divinâ gratiâ resipuit; et veniens Tynemudtham Sancto reconciliatus, servus ejus effectus est. Hoc miraculum accepi à monachis loci, qui in corpore monasterii fuerunt, quando crebro sermone non tantum apud eos, sed apud vicina monasteria, compita, castella et urbes insonuit hoc verbum et celebre habitum est.

CAP. XXXI.—De quodam perigrino, qui apud Novum Castellum ægrotabat; quomodo in somnis, commonente eum Sancto Aydano, ad Tynemudtham profectus est, et in ecclesiâ ejus, subter feretrum ipsius, à gravissimo dolore interaneorum continuo liberatus.

Vir quispiam de pago Norwicensi oriundus, tertiâ tandem vice cum ab Ierosolimis in Angliam rediret, ex insueti forte cibi refectione, tortionum intolerabilium morbo ventrem dolebat; non horis continuis, sed temporum interpolationibus. Et quando post septenos vel quindenos dies hora tortionis advenerat, clamoribus anxiis non solum domum in quâ manebat, sed et vicinam replebat. Hic ad Sanctum Andream, qui in Scothiâ veneratur, iter arripiens, ad Novum Castellum quod super Tyne fluvium situm est pervenit; et in cujusdam domo municipis nomine Danielis, hospitandi gratiâ divertit. Huic erat uxor circa frequens hospitum ministerium ad modum devota femina, quæ diversorium quoddam ædificaverat seorsum, ad hospitum susceptionem conveniens. In quo taxatum virum introduxerat, et manibus propriis exhibitionem ei administraverat. Nocte vero insequente, hora tortionum adveniens miserum hominem solito gravius angebat, et præ angustiâ spiritûs clamori acerrimo nullam dabat requiem. Uxor itaque Danielis, cujus erat domus, ad ægrotantem veniens, benignoque eum consolans alloquio, tandem pannis operuit; et post diutinas molestias, ille mitigato dolore dormire cœpit. Et ecce in visu astitit ei vir vultûs reverendi, dicens ei: "Vis convalescere de quâ laboras ægritudine?" "Volo," inquit, "domine, et ardenter desidero." At ille. "Surgens mane, propera ad Sanctum Regem et Martyrem Oswinum, ut tertiâ feriâ proximâ ejus merearis interesse Inventioni, et ejus meritis inibi optatæ restitueris sanitati." Tum æger. "Quis es, domine, qui tam bona mihi promittis?" "Quid ad te," inquit, "de me? sed vade et crede et sanaberis." "Osecro domine, ne irascaris," inquit, "sed nomen tuum insinua, ut nominis tui auctoritate de promissi præsumam soliditate." Tunc tandem, "Ego sum," inquit, "Aydanus quondam Sancti Regis et Martyris Oswini pontifex, et ejus in

præsentiarum clericus devotus. Et quia ventrem pariter et caput doles, ut de ventris per Beatum Oswinum præstandâ curatione securus existas, ego capitis tui dolorem abigo tactu meo." Et hæc dicens, nasum patientis contractis digitis arctius strinxit, et disparuit. Hospes autem languidus stringentis officio excussus est somno, et exuberantis sanguinis per nares prorumpentis madefactus est profluvio. Et quæ ad ejus obsequium deputata est ancilla, acriori clamore advocans, "Voca," inquit, "dominum et dominam tuam." Quibus ad eum ingressis, "Vocate," inquit, "sacerdotem hujus parochiæ et majores natu hujus villæ, et ipsis testibus narrabo seriem visionis meæ." Assunt vocati, et audiunt narrantem mirabilia Dei. Et completâ visionis narratione, "De Sancto Rege" inquit "Oswino nonnulla dudum audieram, sed Sancti Aydani episcopi antea nec nomen ad me pervenerat. Ejus tamen beneficio caput jam non doleo, et de tortionum curâ, quas in ventre meo patior, per Beatum Oswinum præstandâ non diffido, sed qualiter ad eum perveniam non video. Ego enim pedes ire non valeo, et vehiculum quo conducar non habeo." Audiens hæc aliquis de circumstantibus, "Ego te," inquit, "mecum gratis in naviculâ meâ deferam ad Sanctum Oswinum." Qui eadem die, id est secundâ feriâ, navigantes, veniunt Tynemudtham, die sanctæ Inventionis. Sed horâ quâ fratres in capitulo residebant, ad tumbam Sancti Martyris perveniunt, ubi postquam diutius et devotius oraverat qui languidus advenerat, velut siccis in eo confractis arundinibus ventre ejus fragorem crebrius emittente, ad audientiam usque circumstantis turbæ, tam ministrorum ecclesiæ, quam aliorum qui illo gratiâ solemnis diei convenerant, fragor ille est diffusus, quod eorum in admiratione convertitur. Sed inter mille sanus exiliens, quid strepitus quasi aridorum lignorum significaverit, proclamare cœpit dicens. "Ecce Dei et Sancti Martyris ejus gratiâ, ad integram sanitatem tantâ alacritate restitutus sum, ut videatur mihi quod possim volare." Et ipse post sanitatem receptam, apud Sanctum Andream iter suum cum magnâ lætitiâ statim suscepit. Hæc mihi scribenti narraverunt aliqui de monachis Sancti Oswini, qui id acceperunt ab his qui interfuerunt.

CAP. XXXII.—Qualiter monachus quidam, per Librum Vitæ et miraculorum ejus, lippitudine similiter et dolore oculorum aliquandiu usque ad cæcitatis discrimen vexatus, plenissimam sanitatem recepit.

Gervasius, quondam abbas Westmonasterii, memorati Stephani regis Angliæ filius, tempore quadragesimæ ut liberius

quieti monasticæ vacaret, à villâ suâ Herdfordiam venit; et ibi cum monachis loci permissione abbatis de Sancto Albano, moram per totam quadrigesimam fecit. Contigit autem eo tempore unum de fratribus suis, Henricum nomine, gravi oculorum laborare incommodo. Qui aliqua colliriorum genera curationis percurrens, tempus redimebat, sed oculorum nubem non adimebat. Erat autem eo tempore quidam frater in collegio illo monachorum, qui Sanctum Regem et Martyrem Oswinum affectuosè diligebat, et libellum ejus passionem, inventionem, et nonnulla ejus miracula continentem, apud se habebat. Qui accedens ad Henricum oculorum passione valde gravatum, "Si vis," inquit, "de tanto dolore ocius convalescere, libellum hunc oculis tuis credens appone, et de merito Sancti Martyris, de quo conscriptus est, præsume, et convalebis." Credidit et tetigit, et in ictu oculi dolor oculorum evanuit.

CAP. XXXIII.—De puellâ paraliticâ.

Cum supernæ majestati crebra et admiranda miracula, quæ per merita dilecti militis et invicti Regis et Martyris Oswini dudum operata fuerat renovare placuisset, contigit divinâ nos visitante gratiâ, his nostris temporibus subito quædam renovatio miraculorum. Igitur propinquante die solemnitatis prædicti Regis et Martyris Oswini, quâ passio ipsius celebris habebatur, multi ex diversis locis ad ipsius convenere tumbam; tam corporis quam animæ quærentes medelam. Inter quas quædam puella, annorum fere sedecim, orta in villa de Tynemudthâ, cujusdam pauperis Orm nomine filia unica, vigiliâ Sancti Martyris reptando manibus et genibus, baculum, quo se aliquando sustentaverat, post se miserabiliter trahens, ad tumbam Sancti devenit; tribus etenim annis morbo paralisis adeo laboraverat, ut sub umbilico totum amisisset. Dum igitur in eodem loco constituta, frequenter et devotè Sancti Martyris imploraret auxilium, nocte dum fratres matutinos persolverent ymnos, medelam sensit; surrexit, et coram populo qui aderat, ambulare cœpit. Arreptoque baculo, quo aliquando debilia sustentaverat menbra, Deo et Sancto Martyri gratias agens, super ipsius Sancti altare optulit, ac deinde ad proprii patris domum incolumis rediit.

CAP. XXXIV.—De puero lapso.

In ipsâ solemnitate, rusticus quidam de Ambellâ filium suum,

qui jam octavum ætatis impleverat annum, ad eandam ecclesiam detulit; eumque ante Sancti sepulchrum Martyris deponens, multis astantibus et audientibus ait; "Hic est meus filius, qui jam duobus annis transactis adeo cecidit, ut collisis menbris nunquam postea vel stare vel incedere posset. Hunc causâ recuperandæ salutis huc detuli, eumque Deo et Sancto Oswino commendo." Sic fatus, oratione factâ discessit; relicto filio ante sepulchrum Sancti Martyris. Et jam hora vespertina advenerat, cum pater sollicitus de filio ad ecclesiam rediit, eumque dormientem repperit. Sed subito evigilans cœpit pallescere, tremere, et ita anxiè flere, ac si gravissimis urgeretur verberibus. Qui vero astabant, putantes id fieri pro præsentiâ patris, rogabant illum parumper secedere. Sed cum nec sic à fletibus quiesceret puer, quidam ex fratribus visitandi illum gratiâ adeunt. Quorum unus præ cæteris misericordiâ motus, illi accedere, et ei poma quæ præ manibus habebat dare disposuit. Sed intimatum est illi ne id faceret, eo quod puer in agoniâ esset, et proximus sanitati. Nec mora. Necdum pueri facies à lacrimis exiccata fuerat, cum repentè in conspectu omnium qui aderant, huc illucque in offensis gressibus discurrere cœpit, puerisque qui aderant, ludendo se miscuit. Tunc temporis prædictus ipsius loci prior Herveus, præ infirmitate lecto detinebatur. Qui auditâ novitate miraculi, puerum sibi adduci jussit, quem sanum atque incolumem videns, cibum et potum illi dare præcepit. Gratiasque agens Deo, fratribus jussit *Te Deum laudamus* cantare, et campanas pulsare.

CAP. XXXV.—De puellâ cæcâ.

Intererat etiam huic jocundæ solemnitati, puella quædam Matildis nomine, de Sleveleiâ, quæ ab infantiâ cæca extiterat. Hanc mater ad tumbam Sancti Martyris adduxerat, eamque ibi relictam ad domum propriam redierat. Erant autem oculi puellæ turgidi et sanguine aspersi, et adeo deformes ut sicut ipsa præ cæcitate neminem videre poterat, sic eam nemo præ deformitate oculorum .... amisit, et lumen recepit; idque populo qui aderat clarâ voce indicavit, atque certis indiciis rei veritatem approbavit. Postquam receptam sanitatem, aliquantis diebus in curiâ mansit, sedulè quæ sibi injungebantur ministrans. Tandem post aliquos dies matrem, cæterosque parentes adiit, eosque de suâ sanitate lætos reddidit.

CAP. XXXVI.—*De puellâ quæ fluxu sanguinis laborabat.*

Ipsâ etiam die in ejusdem missæ solemnitate, quidam Rogerus de Midleschirtune, cum filiâ unicâ aderat, quæ multis præteritis annis in fluxu sanguinis laboraverat. Quæ cum ante sepulchrum Sancti Martyris jaceret, et ejus imploraret auxilium, repentè cœpit conqueri, anxiari, vocesque miserandas emittere. Eratque miserabile spectaculum videntibus eam. Voces enim, quas emittebat, interim animi indicabant dolorem. Neque enim vel unâ horâ in qualibet parte quiescere poterat. Nam si dexterâ parte se verteret, continuo ad sinistram impingebat; et ita quocumque se vertebat, quasi violentis hominum manibus agitabatur aliorsum. Cumque jam penè dolore corporis et anxietate vocis deficeret, tandem meritis Sancti Martyris paulisper quievit, et mox populo qui aderat, se sanissimam effectam indicavit. Sicque sanitate receptâ, Deo et Sancto Martyri gratias agens, cum patre et cæteris parentibus incolumis ad propria remeavit.

CAP. XXXVII.—*De surdo quodam.*

Infra vero hanc solemnitatem, aliud jocundum et audiendum delectabile contigit miraculum. Pauper etenim quidam de Togisdene, cum cæteris qui medelam quærebant corporis, eidem solemnitati occurrit. Erat autem surdus, et ex multis annis utrarumque aurium amiserat auditum; pervigil itaque cum candelâ pernoctavit ad sepulchrum gloriosi Martyris. Sed cum nil sentiret commodi, addidit ad simile opus, et secundam occurrit. Sed cum nec sic aliquod sentiret remedium, addidit et terciam. Cum ecce terciâ nocte, horâ quâ fratres matutinorum intererant ymnis, vigilans et apertos habens oculos, vidit ab orientali parte sepulchri procedere gloriosum Regem et Martyrem Oswinum, regiis indutum vestibus, regali coronâ ornatum. Quem præcedebat juvenis pulcherrimus âlba indutus, situlam aquæ et aspersorium in manibus portans. Cum utrique pariter semel et iterum sanctum circumissent sepulchrum, tercio id facientes, devenerunt ad illum locum, ubi surdus ille pauper residebat. Substiterunt itaque ambo; et ecce gloriosus Martyr, accepto de manu gestantis aspersorio, infirmo porrexit. At ille cito in sinistram partem caput flectens, aurem illi dexteram optulit. In quâ Sanctus aspersorium misit, citoque retraxit, surditatemque illius auriculæ abstulit atque pertransiit. Tunc pauper ille lacrimando vociferans, astantibus dicebat; "Ecce,

ecce, videte ubi dominus meus Sanctus Oswinus incedit." Eademque verba repetens, surrexit; ad monachum qui sanctum observabat sepulchrum accessit, eumque sinistrâ manu per vestimenta tenens, extensâ manu dexterâ, digito illi ostendebat dicens; "Domine, vide ubi abit dominus meus Sanctus Oswinus. Ipse modo ante me substitit, mihique auditum dextræ auriculæ suâ gratiâ restituit." Audientes hæc qui astabant, et qui eum surdum fuisse certissimè noverant, accedentes propius interrogabant eum de multis, ad quæ omnia ille sanissimè respondit, pariterque cum eis ad propria rediit.

CAP. XXXVIII.—De pauperculâ muliere surdâ.

Sed et mulier quædam paupercula de Boldune, quæ à multis præteritis annis utrumque auditum amiserat aurium, ad hanc solemnitatem cum cæteris, qui causâ medelæ occurrerant, advenit. Cum itaque indefessè die ac nocte Dei et Sancti Martyris imploraret auxilium, usque ad septimum diem in eâdem surditate permansit. Sed patientiæ ipsius volens Deus adhibere solatium, superveniente octavâ die solemnitatis, cum nocte præcedenti gravissimo somno depressa dormiret, custos monasterii signum ad excitandos fratres pulsare cœpit. Ad cujus sonum excitata mulier cœpit mirari quod auditum recuperasset, putansque unius tantum auriculæ se percepisse auditum, obstrinxit digito sinistram, et ex dexterâ clarè audivit. Obstruensque digito alterius manûs auriculam dexteram, non minus clarè se de sinistrâ audire gavisa est. Sentiensque se utriusque auriculæ percepisse auditum, pro collato sibi beneficio Deo Sanctoque Martyri gratias egit; idque in crastino fratribus et populo qui aderat, gaudens intimavit, atque cum nimiâ exultatione ad propria rediit.

CAP. XXXIX.—De muliere cæcâ.

In villâ de Edenesburc erat mulier quædam, quæ marito jam defuncto, sola cum unicâ remanserat filiâ. Erat autem non mediocris substantiæ, sed omnia illi bona etiam superabundabant. Unde quidam juvenes non ignobiles filiam ejus in matrimonium petebant, tam pro pulchritudine ipsius quam spe pecuniæ matris. Sed cum hoc differretur negocium, subito mater utriusque oculi lumen amisit. Quid igitur agat ignorat. Advocat tandem medicos, et pecuniam quam à multis congregaverat annis, paucis diebus pecuniæ pene totam in medicos erogat, sed nichil sibi proficit. Cumque tribus annis et amplius pene totum quod ha-

bebat incassum expendisset, relictis medicis, saniori usa ex inspiratione divinâ consilio, filiam advocat, eamque sic alloquitur. "Vides, nata mea dulcissima, vides matrem tuam cæcitate incurrisse, nec ab ullo medicorum curari posse. Adquiesce igitur consiliis meis, et sumentes partem pecuniæ quæ nobis remansit, adeamus ad gloriosum Martyrem Sanctum Thomam Cantuariensem archipræsulem; ipsumque deprecemur, ut mihi impetret à Deo suis orationibus, quod medici nequeunt suis artibus." Assentit verbis matris filia, et quam citius possunt iter arripiunt. Cum pervenissent itaque Cantuariam, et factis ante sepulchrum gloriosi Martyris Thomæ oblationibus, fusisque ad Deum ex corde precibus, nocte sequenti mulier unius oculi lumen recepit. Perstat adhuc in precibus, ut sibi alterius oculi lumen redderetur. Cum ecce alterâ nocte dormienti illi Sanctus Thomas, pontificalibus indutus vestibus, astitit dicens: "Quid hic jaces, mulier? Nonne unius lumen tibi reddidi oculi? Quid hic amplius expectas? Non enim tibi alterius oculi lumen reddam. Sed surge cito, et ad patriam tuam repedans, Tynemudtham adito; atque ab ipsius loci advocato, Sancto videlicet Rege et Martyre Oswino, lumen alterius oculi pete, et sine dubio accipies." Evigilans itaque mulier advocat filiam, et quid per visum viderat vel audierat, ei per ordinem narrat. Nec mora; illucescente die surgunt, et quo jussum fuerat, impigrè tendunt. Et venientes ante sepulchrum gloriosi Regis et Martyris Oswini, factâ oratione pariter et oblatione, sub nocte eadem alterius oculi mulieri restitutus est visus, et mane facto cum filiâ ad propria rediit.

CAP. XL.—Quomodo quidam de fratribus in præsentiâ Sancti à corporis et cordis sit infirmitate liberatus.

Gloriosus Deus in Sanctis mirabilis, qui usque modo cum patre mirabiliter operatur, novissimè diebus istis in Beati sui Regis et Martyris Oswini meritis salutem operatus est cuidam fratri in Sancti præsentiâ constituto, quem molesta infirmitas duplici contristavit incommodo. Quod utique factum litteris mandatum dignum duximus ad posteros transmittere, ut cognoscat generatio altera, quam dignè iste Sanctus in memoriam vertitur hominum, cujus sacra pignora signorum frequentia titulo tantæ venerationis illustrat. Is autem qui Sanctorum opera vel silentio premit, vel per incuriam negligenter omittit, manifestè Dei beneficiis ingratus esse convincitur: quia quod animalia bruta quasi per intellectum trahunt à naturâ, hoc homo sensûs capax in se contra legem rationis evertit. Bestiis enim insitum

est, licet non discernant, ut se diligentes et ipsæ diligant; illosque sequentur qui bona sibi faciunt, ut familiares se eis in hoc esse demonstrent. Solus autem homo pro bonis quæ percipit de manu Domini, Deum nec laudis voce rumunerat nec honore. Hinc est quod auxilium gratiæ Dei nostra quandoque peccata præpediunt, quia cum ad Sanctorum nomina petitionem facimus, eorum quidem meritis præsto est quod petimus; sed nostræ precis effectum assequi non valemus, quia vel alia vel aliter petimus quam debemus. Quod utrumque intuens propheta dicit; "Deus meus, clamabo per diem, et non exaudes, et nocte, et non ad insipientiam mihi." In scripturâ sacrâ solet per diem prosperitas, et per noctem adversitas figurari. Hi ergo quos prospera erigere, et quos adversa possunt inclinare, super his quæ petunt non exaudiuntur, quia coram oculis Domini ea quæ petunt, ad insipientiam sibi petere perpenduntur. Quia si dignè digna peterent, procul dubio suæ precis sortirentur effectum. Is autem frater, de quo nobis sermo est, qui non prosperis erectus, nec depressus adversis, inter utrumque tenens medio tutissimus ibat; et ut rei probavit effectus, dignè digna petens optinuit per Sancti merita quæ petivit. Cujus nos testes sumus ad plebem, de quo non audita sed visa narramus, quæ in utroque homine dura perpessus est; exterius quidem gravi corporis infirmitate detentus; intus vero tribulati cordis angustiâ laboravit. Et licet ei vivere Cristus fuerit, tamen præ augustiâ spiritûs morbi sibi lucrum autumabat. Hunc itaque fratrem duplici præventum incommodo, dolor geminatus ab omni ciborum appetitu suspendit; omnique saporis et delectûs efficaciâ carens, tribus diebus mon manducavit neque bibit. Siquid tamen necessitate naturæ gustavit, famem potius irritare quam conpescere velle credebatur. His ita se habentibus, die præcedente vigiliam Sanctorum Symonis et Judæ, qui tunc dominica habebatur, cum ex more fratres ad epulas convenirent, deliberavit secum frater ille quidnam ageret, eo quod nulla cibi voluntas hunc ad prandium invitabat. Fretus tandem meliore consilio, optimam sibi partem elegit, quare conventu se reficiente, ille secum socios tantummodo psalmos assumens, in quibus semper totus erat, ascendit in templum ad orationem, Deique Sanctum adiens sese recepit in atrio, precesque fudit; legationem mittens rogabat Dominum ut ea sibi dirigeret quæ pacis sunt et salutis. Dum autem inibi diutius oraret, elevatis sursum oculis, Sancti scrinium à priori fronte in parte vidit esse detectum, pallamque quâ tegebatur indecenter et inconpositè hinc inde fluctuantem. Indignatus super his quum altario Sancti specialius ministrabat, collectis in se viribus se totum erexit, et annisu quo potuit, scabello impositus, in altare Sancti

vix reptando conscendit. Cum autem in altare consisteret, debilitas sibi requiem mendicabat. Tandem in se reversus, utrâque manu pallam Sancti Martyris arripuit, manibusque combinatis fortius elevavit, attraxit, ut Sancti scrinium decentius operiret. Dum autem annisu fortiore pallam elevatam attraheret, ex ipso flatu demissæ pallæ miræ suavitatis odor egressus est, qui per os et nares illum intrans, totum corpus ejus quasi ros, immo verè ros sed divinus irroravit, ipsumque mirabiliter refecit; ita ut non subitam sanitatem agnosceret, nec adhuc infirmum esse sentiret. Et aptè satis bonæ mentis intentio, tantis meruit donari muneribus; quæ non fidens in homine, nullatenus posuit carnem brachium suum, sed speravit in Domino qui in Sanctis operari mira non desinit. Et quum erat Dominus fiducia ejus, misertus est Deus illius, ob meritumque bonæ fidei Sancto suo concessit, ut rex militem suum ægrum incolumem, pro stipendiis militiæ, celeri sanitate donaret; in cujus tamen subtilitate misterii, operata est subtiliter mutatio dexteræ Excelsi. Descendensque ab altari novæ salutis nescius, psalmos, quos pro Martyris obsequio dimiserat, repetiit. Locum enim signavit, cum in altare conscenderet. Cum autem eosdem iteraret, repperit se esse inter hos duos psalmos, *Quam bonus Israel Deus*, et, *Ut quid Deus:* quatinus frater ille perpendens ex salute perceptâ, quam bonus Deus Israel fuerit ei, ulterius tanquam inportunè non diceret, "*Ut quid Deus repulisti in finem*, meas scilicet preces pro salute meâ," sciens per Martyris merita se efficaciter exauditum. In se ergo reversus, evangelicum illud memoravit, quia decem mundati sunt, cum alienigenâ rediens, Deo et Sancto ejus magnificè gratias egit: et ita cum esset factus sospes, ulterius nulla eum pristinæ infirmitatis molestia contristavit. Cum autem post fratrum refectionem frater ille reficeret, visum est ei, quia quicquid illo die comedebat, eodem fuerit mirabili confectum odore. Unde præ nimiâ suavitatis fragrantiâ lætior effectus, sumpto avidius cibo plurimum confortatus est. Ipso autem tempore frater idem guttâ graviori torquebatur in renibus, ipsâque invalescente, supplicationi letaniæ, licet vix, tamen cum fratribus interfuit. Dolensque Dominum et Sanctum ejus precabatur dicens, "Sancte Oswine, bene fecisti mihi redditâ pristinâ sanitate; superest autem ut ea quæ bene cœpisti, fine compleas meliori: ab hoc ergo imminenti dolore libera me Domine." Dixit; et cum fratribus sese vix prostravit de Sancti præsumens meritis, supplicationeque completâ surrexit, et nulla in se pristinæ infirmitatis vestigia sensit. Sed nec ipsum, ut postea protestatus est, illa ægritudo in aliquo contristavit, nec quicquam molestiæ intulit. O medicum solâ bonæ mentis intentione devictum, qui pro tantæ parvitatis obse-

quio tantæ bonitatis præmia largitur. Anno autem Dominicæ incarnationis millesimo centesimo octogesimo quarto, à Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris; quia de tam subitâ et celeri sanitate mirari possumus; sed rei gestæ naturam et modum investigare non valemus, cum non sit nostrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.

CAP. XLI.—De aucis quæ de Sancti decimis fraude sullatis comedere non valebant.

Aliud quoque miraculum accepimus nostris temporibus contigisse, quod et relatu jocundum est, et memoriâ dignum. Deus enim licet sit magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operatur in minimis, ut sciamus quod parva non deserit, qui ex nichilo cuncta creavit. Erat in Chirtunâ vir quidam timens Deum, et decimas rectè offerens omnium quæ possidebat; eratque illi uxor ejus contraria moribus, quia Deum non timebat, nec hominem verebatur. Hic autem vir tempore messionis, cum per metas modicas, ut moris est metentibus, fruges suas collegisset in agro, decimam metam Sancto Oswino consignavit in decimam, eo quod terra sua ad Sancti dominium pertineret; et partem bladi reliquam quæ eum contingebat, domum cum carro studiosus agricola deducebat. Uxor vero ejus aucas habens plurimas, die quâdam eas ante se coegit in agrum, ut spicis, quæ metentium manus fugerant, pascerentur; et tulit garbam unam de Sancti decimis, et coram aucis viro nesciente projecit. Illæ autem, tanquam facinus attendentes et abhorrentes, fugerunt; et nec garbam respicere, sed nec eam in aliquo contingere voluerunt. Uxor autem indignata super his, et quod in decimam tanta bladi sui portio pervenisset, felle mota femineo, garbam decimæ tulit. Ab agro aucas abegit, domumque properavit; et illas in parvulo locello reclusit, projectâque eâdem garbâ inter illas, ostiolum offirmavit, et discessit. Dixitque, "Aut edetis, aut moriemini." Et his dictis, cæteris se suis negotiis implicabat. Cum vero jam se dies inclinaret, rediit mulier; scire volens utrum iræ animi satisfecisset famis injuria, et aperiens ostiolum, et volenti introire, aucæ perstrepentes occurrerunt, quasi cibum, à dominâ more solito mendicantes. Quæ mirata plurimum, garbam diligentius intuens, eam non solum intactam repperit, sed nec etiam in unius spicæ vestigio aliquid læsionis invenit. Quippe aucæ inclusæ capita claudebant in alis, et tanquam nichil cibi eis esset appositum, victum solitum expectantes, in pace consederunt. Mulier autem in se rediens, garbam tulit; et alteram de dominio suo inter illas projecit, quæ etiam astante

ipsâ cum summâ celeritate consumpta est, et in paleis celeri voracitate redacta. Tunc ad primum mulier se peccasse cognovit, et nocte cum se viro in secreto cubiculi sociasset, eventum rei per ordinem exposuit, et peccasse se in Sanctum Dei, jam facti pœnitens inclamavit. Perterritus autem vir super his uxorem verbis acerrimè corripuit, monuitque ut sacerdoti se ostenderet, rem seriatim exponeret, et judicio sacerdotali quod in Deum et Sanctum ejus peccaverat expiaret. Fecit mulier, sequenti dominicâ, quod vir indixit; ad sacerdotem accessit, et à templo justificata recessit, et de cætero quod malè fecerat emendavit.

CAP. XLII.—De vinculatis apud Novum Castrum qui de carcere per visionèm egressi sunt, et ad ecclesiam Sancti venientes, ab instanti morte quam meruerant liberati sunt.

Erant apud Novum Castellum rei quidam vinculis irretiti, et pro suis damnandi sceleribus; qui cotidie aliquo tormenti genere miseram mortem expectabant. Horum pedes cippo tenebantur, et anulis; colla ferro, manus vinculis arctabantur; et inediâ famis afflicti, fame laborabant et ferro. Erat ergo anxia malorum facies, quoniam debilitas corporum, et carceris horror, angustia famis, et ferri pondus, omnem eis evadendi spem penitus denegabant. Quærebant igitur opem à Domino, quum in homine fiduciam non habebant. Agebantque apud illud se de Domino audîsse quod sæpe levat pœnas, ereptaque præmia reddit, cum bene peccati pœnituisse videt. Pœnituit facti miseros, superosque precantur, fletibus ora rigant, talia mente gerunt. "O Deus! o fortis! o vitæ panis et auctor! erue, solve, leva, corpora, vincla, famem." Nocte vero quâ decollatio Sancti Baptistæ Cristi celebratur et colitur, cum ægro sopori miseri vix menbra dedissent, audivit quidam eorum in somnis, ut sibi videbatur, vocem inquirentem, cur ibi tenerentur inclusi; et adjecit, "Nolite timere, non modo moriemini. Nocte enim translationis Sancti Cuthberti, quæ nunc nuper futura est, liberabimini à vinculis vestris. Quod cum videritis contigisse, viriliter agite, et confortetur cor vestrum: exeuntesque festinanter de carcere, Tynemudtham ad ecclesiam Sancti Oswini properate, Deoque et ipsi pro vestrâ ereptione gratias agite." Et his dictis, conticuit. Is autem evigilans, sociis quæ viderat enarravit. Et angustiis pressi, Deum omnia posse confitentur; hoc autem vel nolle, vel vix posse, miseri profitentur. Angustiæ enim erant undique; et quid crederent, ignorabant. Ab illo tamen die erant fiduciam habentes in Domino, et Sanctos

ejus Oswinum, Cuthbertum attentius invocabant. Pridie vero quam translatio Sancti Confessoris adesset, accidit ut magister carceris descenderet ad vinctos suos, ut videret quidnam agerent; et reperit in solario, quod imminebat capiti eorum, lignum quoddam, quod vulgo planca dicitur, fortasse casu à suo remotum ordine. Credens hoc ex eorum arte vel ingenio pervenisse, accitis sociis omnem mox actus in viam, instaurat nervos, superaddit vincula vinclis, dat pœnis pœnas, et pugnis corpora cedit. Ascendensque de carcere, devovet se non bis comesturum, nisi eos suspendio prius abegerit. Illo igitur frustra cogitante de suspendio, benignus Deus piè disponit de præmio. Sequenti enim nocte in primo noctis conticinio, subito quorumdam vincula solvebantur; et illi mox de divino præsumentes auxilio, sibi invicem succurrebant. Alii alios enodabant, alii virtute quâ poterant manibus vincula confringebant; et jam in pedibus consistentes, de suo plurimum sollicitabantur egressu. Apertoque secretius à latere carceris occulto foramine, omnes egressi sunt; et quia plurima pars vinculorum ipsorum vestigiis inerat, quam effringere nullâ virtute valebant, parte corporibus adhærente, partem portabant in manibus, ne si ferrum altius resonaret (ut moris est anulorum) dum incederent, ipsorum propalaretur secretum; essetque per hoc novissimus error, et tunc verè error pejor priore. Duo erant inter eos, unus debilis, alter diffidens de Domino; è quibus ille diffidens credidit se non posse fugâ salvari, et malens suo judicio mortem expectare quam prævenire, ad carcerem rediit; ubi post inventus et damnatus, vitam quam servare poterat, suspendio terminavit. Illum autem debilem sui socii sicut poterant supportantes, secum à villâ longius deduxerunt; quem et in cimiterio cujusdam ecclesiæ projecerunt, scientes quod mora trahit periculum cum de salute agitur: et abeuntes, se ad usque Tynemudtham cum festinatione, quo et ille reptando potius quam incedendo venit in crastino, et ab instanti mortis incommodo liberatus est. Cum ergo fratres ibidem matutinos agerent, hi omnes ecclesiam ingressi sunt; et rem pandentes per ordinem, Deum glorificaverunt, et Martyrem adorantes, ei sua vincula loco muneris optulerunt; quæ appensa sunt in ejus præsentiâ ad continuandam ejus memoriam; ut sciant omnes qui convenerint, quod hanc virtutem et fortitudinem dedit Sancto suo Oswino benedictus Deus, ut dicat his qui vincti sunt, exite, et his qui in tenebris, revelamini; ut reseret clausis, et solvat vincla ligatis, omnibus dico qui invocant Dominum et Sanctum ejus in veritate. Fit mane quæstio à regiis satellitibus, quonam vincti effugissent; et vulgante famâ, didicerunt eos Tynemudtham advenisse. Quo mox accurrentes, eos ibidem repererunt; et plus de vinculorum quam de

vinculatorum amissione conquerentes, viarum exitus, ut et ipsi vidimus, obsederunt, minus quam decebat paci Martyris deferentes, ut et eos caperent, si forte sibi fugâ consulere decrevissent. Sed quia non est consilium contra Dominum, omnes noctu exierunt unus post alium, et non erat qui cognosceret; et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam. Quo conperto, regii satellites et ministri percutientes pectora sua revertebantur. Hoc et ipsi ascripsere miraculo, et dantes honorem Deo, veniamque pro illatâ paci Martyris injuriâ postulantes, omnes ad propria remearunt. Sunt autem multa quæ plurimum nobis operantur ad miraculum, quia probabili veritatis argumento nituntur, ut scilicet status temporis et situs loci, difficultas itineris, ferri pondus, celer effectus negotii, quæ omnia si divino caruissent auxilio, res nullatenus talem exitum mereretur. Erat enim tempus autumni placidum, aerisque grata temperies, et lunæ splendor nimius, agebantque plurimi vigilias noctis super fruges suas; carceris locus in eminentiâ villæ situs, sex à Tynemudthâ distans millibus, vicus quo tendebant à carcere saxis prominentibus et petrarum inequali densitate confusus, debiles etiam ipsi gradientes et ferreis onusti vinculis, exitus villæ à parte illâ circumseptus undique domibus incolarum! Et tamen in his omnibus nec visi sunt aliquibus nec auditi; sed et quod dictu mirum est, nec cum tanti essent saltem à canibus insecuti, ut apertè daretur intelligi, quod ductor eorum Dominus, ad laudem sui Martyris absconderet eos in abscondito faciei suæ à conturbatione, nec solum hominum sed etiam animalium; sciatque generatio altera quia ipse est Deus solus faciens mirabilia, qui Sanctos suos mirabiliter in vitâ glorificat; et post transitum carnis, sic eos vivere miraculis innotescit.

CAP. XLIII.—De muliere contractâ per quinquennium, et in præsentiâ Sancti Martyris per ejus merita liberata.

Fuit in villâ de Tynemudthâ mulier quædam, Aldit nomine, per continuum fermè quinquennium totis contracta nervis; quæ lecto decumbens, pedum penitus carebat officio: et in infirmitate posita, Dei jugiter et Sancti Martyris Oswini postulabat auxilium. Hæc die quâdam ob rerum inopiam et victûs, in se reversa de Sancti præsumens meritis, et morbum animi virtute devincens, sibi ipsi violentiam intulit; et annisu quo potuit innixa baculo, repere potius quam incedere videbatur. Sicque ad Sancti Martyris properavit ecclesiam, ibique de morbi levamine Dei gratiam et opem Martyris lacrimis et precibus inplorabat. Quod cum frequentius ageret, contigit ut in festo Sancti Petri

quod dicitur Ad Vincula ipsa mulier in præsentiâ Martyris, solitâ instantiâ orationi incumberet; et dum divinum in conventu celebraretur officium, optatæ reddita sospitati surrexit; nobisque cernentibus baculum in testimonium sanitatis acceptæ relinquens, quæ repens et tristis advenerat, gradiens et hilaris remeavit ad propria: ipso Sanctum suum talibus insignibus illustrante, qui est Deus benedictus in secula. AMEN.

CAP. XLIV.—De quâdam puellâ à dæmone vexata, et per Sanctum Oswinum liberatâ.

Puella quædam de Northsetune atroci dæmone vexabatur, quæ quos attingere poterat, unguibus et morsu laniabat. Hanc parentes sui, de Sancti meritis præsumentes, ad Martyris duxêre præsentiam; et ibidem cum eâ in oratione pernoctantes, per Sancti merita optato potiti sanitatis beneficio, puellam incolumem lætantes ad propria reduxerunt. Quod miraculum celebriter factum, et sollemniter in ecclesiâ coram populo publice recitatum, litteris mandare curavimus; ut cognoscat generatio altera, quod Deus Sanctum suum talibus illustrare non desinit insignibus, qui est benedictus in secula. AMEN.

CAP. XLV.—De quodam latrone.

Tempore quo præfuit ecclesiæ de Thinemudthâ Prior Archarius, vir honestæ vitæ, clarus genere, annis maturus et moribus, manifestavit Deus antiqua miracula sua ad honorem et gloriam Sanctissimi sui Regis et Martyris Oswini. Manifestavit autem sic. Quidam aurifaber ingenuus, Baldewinus nomine, in cujuslibet metalli scientiâ peritissimus, aliquantulam moram fecit in prædicti Prioris obsequio; ut thecam, in quâ Martyris Sancti corpus reconditur, solito decentius argento vestiret et auro. Die vero Sancti Oswini, cum ad festum populus ex more concurreret, quidam Martirem oblationibus et devotis precibus humiliter excolebant; alii refecti lautioribus epulis, lusibus intendebant et jocis. Cum autem Baldewinus voces ludentium et tumultus audîsset, ad spectaculum festinanter accurrit; et ostiolum suæ fabricæ minus cautè dereliquit apertum. Fur quidam interim dicti fabricam artificis, quæ contigua erat ecclesiæ Martyris, latenter adiit; et ingressus, omnem substantiam quam portare potuit, collegit, rapuit, clamque discessit. Et quia pacem Martyris, quæ multis ad vitam profuit, ausu temerario violavit, condignam suis meritis in seipso sensit protinus ultio-

nem. Nam cum publica strata pateret eunti, et nichil penitus videretur quod juxta rationem humanam viantis iter posset impedire, ipse terminos pacis pertransire nullatenus potuit; sed infra pacis limites huc illucque vagabundus errabat. Tandem in quodam hospitiolo villæ sese recipiens, posuit tenebras latibulum suum; ubi ex levitate vultûs, et inconstantiâ verborum et ex rerum novitate quas tulerat, se suspectum reddidit intuentibus; unde et sedentes servabant eum, donec aliquid de eo certius ad earum audientiam perveniret. Quod et continuo factum est. Erat enim in eâdem domo mulier quædam, quæ Baldewini vestes abluebat ex more; quæ manifestis comperit indiciis, inspectis feminalibus, furem Baldewini vestibus indutum; et omnia quæ viderat, Baldewino protinus indicavit. Cum hæc audisset aurifaber, et sublatam suam substanciam attendisset, non tam rerum amissionem, non tam damnum illatum quam martyris ecclesiam, in hujusmodi verba prorupit; dicens, "O Rex et Sanctissime Martir, à quam pluribus celebri famâ vulgante didici, quod pacis tuæ violatores arguere, castigare maleficos, et frequenter soleas emendare peccantes, cur paci tuæ tantam injuriam, cur mihi, qui tuo specialiter sum deputatus obsequio, damnum istud irrogari permisisti? Si vera sunt, quæ de te, Martir, audivi, videam quæso ultionem tuam in hoc opere; tibi enim revelavi causam meam, Martir reverende." Cum ad huc in petentis corde versaretur oratio, ecce rumor plenius insonuit, furem eundem in villâ deprehensum; et ea quæ sustulerat cum integritate reportasse. Quod audiens Baldewinus, assumptis sodalibus illo festinus accurrit; et egressâ sententiâ, furem publicè convictum et confessum suspenderunt in patibulo, facientes ei sicuti malè egerat adversus Deum et proximum. Sicque Baldewinus, receptis omnibus quæ perdiderat, Deo et Sancto Martyri gratias agens, lætus remeavit ad propria: et exinde studuit in thecâ Martyris operari subtilius, et in ejus obsequio devotior inveniri.

LIBELLUS

DE NATIVITATE

SANCTI CUT.HBERTI

DE HISTORIIS HYBERNENSIUM

EXCEPTUS ET TRANSLATUS.

LIBELLUS DE ORTU, ETC.

Incipit Præfatio de ortu Sancti Cuthberti.

Cum per annos plurimos mecum secrecius volverem, quid ad honorem venerandi patris Cuthberti stili memoria perpetuarem, eo spiritu vehementiori efferbui quo aliqua altiori digna relatu adiscere concupivi. Perplura etenim miracula, propter ejus merita præclara, Dei potentia in regionibus diversis effecerat, quæ nemo hactenus scriptis exarata, memoriæ sequentium commendata, reliquerat. Quæ diligentius investigans, et, ab eis, qui ea viderant et intererant, sollicicius ea explorans, quæque digna cordis armariolo recondebam; et in opuscula quædam intexere proponebam. De quibus utcunque, libello confecto, amicis ostendi. Inter hæc forte opusculorum studia quædam quaterniuncula in manibus incidit, quæ nativitatem Beati Cuthberti in Hyberniæ partibus, regio simul et generoso quondam semine propagatam, exposuit; et qualiter ad Angliæ fines applicuerit in subsequentibus satis evidenter ostendit. Beatus interea pater Cuthbertus, votis desiderii nostri propiciatus, ut arbitror, pius illuxit; quia sacræ opinionis et conversationis virum Eugenium Harundinonensem Episcopum de Hybernia natum nobis transmisit, qui ea, quæ prius de ortu Beati Cuthberti perceperamus, testificando roboravit; et non nulla alia, de quibus antea nichil novimus, nobis præclara relacione detexit. Nam verissime illum in Hybernia natum de semine regali asseruit; et loci et urbis nomina, in quibus natus fuit, evidentius quam quivis aliorum nobis exposuit. Inter alia vero, quæ de Cuthberto nostro sacro a primævo puero peroravit, Muriadach regem patrem illius dixit; qui sua in diebus illis probitate regnum totius Hyberniæ suæ dicioni per sceptrum monarchiæ subjugaverat, et de cujus viribus sive potentia plura in eorum

codicibus legerat; matrem vero illius Sabinam fuisse vocatam; quæ, pro sanctitatis suæ religione et miranda conversatione, nunc in terra illa in maxima habetur veneratione, et penes illos inter electos Dei reputata connumeratur. Unde et sacræ ipsius reliquiæ et locis sacratioribus reponuntur ecclesiæ, memoriaque illius annua ubi quiescit celebris habetur. Alia, vero, quæ de ipsis retulit, in locis hystoriæ competentibus inseruimus; quia non convenit ut in præfaciuncula nimis simus effusi, in historia vero succincti. At tamen protestatus est quod mater, dimisso in finibus Scottorum puero, repatriavit; et ibi in ecclesia religiose conversata penes eos sub habitu sancti Monialis obierit. Post cujus relationem et aliorum veridicam attestacionem, videlicet Mathiæ Archiepiscopi, et Sancti Malachiæ et Giliberti et Alani, Episcoporum, et nonnullorum veteranorum de Hybernia sacerdotum, nec non et monachorum predicti Sancti Malachiæ Archiepiscopi discipulorum, manus securius apposuimus; et eorum dicta vel testimonia, prout hystorica prosecutio exigit, sequenti opusculo inseruimus. Alia vero propriis adaptantur locis, quæ ab aliis didicimus seu scripta comperimus in Scottorum libris. Quibus freti testimoniis, pio Domini Confessori Cuthberto devoti offerimus exennia nostri laboris. Quem alacrioris animi sedula devocione postulamus ut ita dignetur habere accepta quemadmodum nostra in hiis desideria ejus honori prompta fore gestiunt atque devota. *Explicit Præfatio.*

[*CAP. I.*] *Incipit Libellus de ortu Sancti Cuthberti.*

Cuthbertus in Christo Jesu gemma sacrorum sacerdotum et nobilis gloria Confessorum, de regio stemate Hybernensium traditur fuisse progenitus. Qui de styrpe regia satis educitur ut merito flos et gemma pontificum prædicetur. Nam, de regio patre genitus, de regis quoque nichilominus est filia propagatus. Sic enim in Hyberniensium annalibus vetustissimis scriptum legitur, quibus fides celebrior adhibetur. Erat in Hybernia Rex generosus, ex prænobili magnatorum sanguine, qui nativa dignitate regia cunctis præfuit majestate.* Nam attavis regibus editus ipsis pro naturæ legibus fuit Hyberniæ regibus septrigera potestate præpositus. Qui Regi cælorum merito morum assidue militabat, et fidem Christianam, quam perceperat, piis operibus exornabat. Hic in civitate Hyberniensium nobilissima, quæ

* "Et cætera. Cujus filius Cuthbertus vir sanctus". These words are placed in the margin, and a line is drawn to majestate, as if they came in after that word.

Lainestri tunc temporis dicebatur, multis gloriose diebus regnum tenuit; quod et Christi cotidie operibus, quantum potuit, decoravit.

[*CAP. II.*]

Rex igitur alter, qui in proximo aliud regnum in ipsis Hyberniæ partibus tenuit, illius felicitatis gloriæ, auctore nequiciæ stimulante, invidit; et, quod invidiæ sator sua prudentia nequivit efficere, hoc membrorum suorum impudenti nequicia studuit adimplere; et qui eternæ quietis statum jam diu deseruit religiosi regis pacem turbare cum funesto suo satellite decrevit. Unde rex, qui in Connathe, quod cominus erat, tnnc regna disponebat, dolo et astuciis ipsius regna infestare properabat. Insidiabatur ut leo, occultam machinans iniquitatem, ut Christianum Regem perderet innocentem. Erat nimirum adeo ferox et rigidus, quod omnibus suis erat vicinis infidus et odiosus, stultique ausus impudentiam iniquæ perversitatis armavit sævicia; unde neque Deo nec homini exhibuit in aliquo reverentiam. Congregans ergo suæ cunctos perversitatis satellites et commilitones, et quoscunque poterat convocare vel conducere, juniores seu seniores, de nocte cum gladiis et fustibus exivit; et quem vigilando non poterat, sub nocturno sopore suffocando extinguere festinabat; et, quem belli manifesto discrimine lascessire vel impetere non præsumpsit, sedicione subdola et occulta deturpare vel confundere satagebat. De civitate igitur, quæ Connathe dicitur, nocturnis sub insidiis proficiscitur, ut sub quietis silentio rex pacificus occideretur. Itaque regem Christianum dormientem clanculo interemit, et neque de ejus familiari exercitu quemquam superstitem dereliquit; uxoremque et filios jugulo suffocabat, et de tam generosa Regis sobole nemini parcere voluerat nisi puellulæ tenerrimæ, cui præ pudore manus injicere erubescebat. Nichil ergo penitus de humano germine vitam ducens dereliquerat, nisi solam tantum puellulam, cui, solo pudore prohibente, parcendo vitam indulserat.

CAP. [III.]

Nulli tamen fidelium hoc videatur fore tenemerarium, [*ita*] justum videlicet iniqui exactoris subeundo sustinere supplicium. Verax enim quandoque, Deo disponente, datur fallacibus, et pium sine culpa, ut purgetur, plerumque fatigat iniquus. Estque hoc justorum satis probabile experimentum, dum adversa pacienter suscipiunt et sustinent, propter humilitatis discipulatum et piæ conversationis exemplum. Beata est igitur veræ puritatis innocentia, quæ in hujus Regis filia puritate effulsisse cognoscitur, quæ formosa specie sicut et generosa dinoscitur ex nobilis prosapiæ dignitate. Quam multi ei veneracionis gloriam exhibebant, quia venustatis speciem et piæ indolis juventutem in illius forma pulcritudinis refulgere videbant. Et, tamen, quanto quibusdam erat ad dilectionis gratiam, tanto emulis claruit ad persecutionis offensam. Unde virgo generosa, impio jubente rege, in servitutem redigitur. Generositatem namque illius convertebat in servitutem, pulcritudinem ad sæviciæ occasionem, libertatem generis ad subsannationem et ad opprobrium vilitatis. Regina namque ipsius famulatum peciit et accepit; sed obsequium dignitatis omnimodo convertit ad oppressionem miseræ servitutis. Quicquid enim pro erepcionis consolacione habere debuit totum puellulæ dispendium pervertendo regina commutavit. Et tamen hæc, ac consimilia, cum pacata sustinuit animi paciencia, sine omni murmuris querela vel desolacionis angustia. In paciencia quidem animam suam possedit, et conviciis afflicta, vel obprobriis, omnia equanimiter et cum gaudio tulit. Nichil quidem est animæ laboranti suavius paciencia, quia omne quod sustinet ei redolet ex virtutis moderamine et prudentia. Unde hæc juvencula, cum estu vel frigoribus sæpius ureretur, totum gratia moderatrice sustinuit; ut in doloribus erudita a Domino familiarius eligi mereretur. Nam tot flagris vel miseriis lacessita nunquam tamen a pristini decoris statu vel pulcritudine est aliquando immutata.

CAP. [IV.]

Igitur pulchritudine ejus et specie quamplurima, Rex illectus cupidine, illius inflammatur dulcedine et amore. Nam quicquid pro virtutis gratia in illa radiando lucere conspicit, totum ad

libidinis [*libinis* in MS.] incentiva pervertit. Sicque, dum cæco amoris oculo in illius desiderium amplius animatur, multociens, quod sub secreto pectore occultatum tenuit, alterius signis et nutibus publicatur. Nutibus vero et motibus lascivis, quantum occulte potuit, suæ estus cupidinis satis puellæ sæpius intimavit. Et postmodum, dum tempus aliquando optinere potuit, quod prius signis prædicaverat, promissis muneribus et ornatis sermonibus sæpius explanabat. Illa vero levius interfici potuit quam ad libidinis molliciem aliquatenus inclinari. Unde, quantum potuit, vel ei licuit, ab ejus se præsencia segregavit; ac semper a suspecti regis viis, gressibus aut semitis, se subtrahendo suspendit. Cum ergo virago tenera magis mortem eligeret, quam tam diræ sorti subjici decrevisset, mors non præordinata non accidit, sed sors antedisposita suæ institucionis terminos conficiendo peregit.

[*CAP. V.*]

Igitur apud Hybernenses tunc lex consuetudinis extitit, quod, certis æstivis temporibus, grex puellarum serviens silvarum saltus adire gregatim debuit; ibique frondium flores excerperet et competentibus onerata sarcinulis Reginæ thalamis coronandis inferret: opusque tale servitutis omnis puellarum familia Reginæ persolvere debuit. Sin autem florum copia reperiri tunc temporis non quivisset, debilis familia juncti viridantis, vel herbæ virentis, seu eciam flosculi cujusvis bene olentis, onera vel fasciculos congregaret. Cum, igitur, quodam tempore, consueta Reginæ festiva sollempnitas accidisset, hanc cum sodalibus ad præscripti operis exercitia direxit. Quæ, aliis festinantius cum sarcinulis regredientibus, sola derelinquitur; eo quod manum in falcem mittere minus docta probaretur. Quæ, tamen, ex laborioso usu consuetudinis non didicit, compositam quandoque humeris sarcinulam exposuit, sicque per viarum invia comite destituta oberravit. Contigitque, ut juxta ripas sola soli Regi occurreret, cum aves aquatiles avium naturali violentia sagacium arceret. Sed humiliter allocutam nec blanditiis flectere nec munerum promissionibus potuit mentem captivare. Unde consulta tandem conscientia forciori dextera corrupit [qu. *corripuit*] virginem, et secrecioribus silvis eductam, viribus utens, oppressit. Ista sane oppressio conceptionis Cuthberti celebracio fuerat; quem gloriosum audientibus fama virtutum celebrior commendat.

[*CAP. VI.*]

Puella, igitur, impregnatam se sentiens, querulis cœpit vocibus conqueri, et corrupcionis obprobrium sæpius contristata collacrimari. Cujus lacrimosas Rex querelas diutius sustinere non potuit, quia ipsa jam naturæ compassio erroris delicias complangendi angustias permutvait. Rex vero cominus virgini se conjungit, et verbis dulcius temperatis eam mitigando perungit. "Absit, inquam [? *inquit*] filia, ut tanti decoris pulchritudinem negligencia mea devolvi paciar per ignominiæ teporem. Tibi ergo nec pro hoc commisso insultabit famulus aut ancilla; quia tui presentia a communi ita semovebitur clientum absencia quod neque vocum audies improperia vel chachinnantum stridula deliramenta. Alvus tibi, si quandoque intumuerit, insultacioni et obprobrio esse non poterit, eo quod regis filia unica unius regis unica facta sis ancilla. Et si sexus virilis partus tui levamina subsequatur, divinæ fuisse virtutis disposicio dinoscetur. Siquidem cum sexum virilem hactenus aliunde non habuero, in hoc puerulo diu dilati mihi hæredis votiva desideria compensabo. Eritque merito utriusque hereditatis nostræ successor naturalis, eo quod utrinque de semine regis sint illius sementiva propagationis. Nec alteri excellentius utriusque debetur hereditas quam illi. Ex paterno enim semine ei regnum meum jure censetur, et ex materna generationis serie ad eum merito patris tui sceptrum et imperium transferetur. Nam paterni solii tu sola heres esse cognosceris. De meo autem paterno vel materno semine præter istum non video mihi debere hereditario jure succedere, eo quod nunquam me memini virilis formam substanciæ generando profudisse. Et nunc quod nobis casu dictante provenit, ut adverto, jam ea divina disposicione successit. Jam ergo ad matrem meam te transmittam, et tibi atque conceptæ proli omnem solicitudinem devocionis impendam." Ascitis itaque suis quibusque familiarioribus et amicis, ut eam matri suæ filiali vice quondam reginæ devocius porrigant, et benignius istam foveri atque consolari præcipiant. Qui susceptam puellam quo eis jussum fuerat diligentius perduxerunt. Quam regina pro filii postulantis amore obnixius suscepit, et sibi eam in filiam adoptavit. Aliquamdiu ergo circa reginam puella conversata cunctorum commanentium benivolentias pro suæ liberalitatis gratia sub brevitatis tempore est sortita. Rex, interim, quia puellam pregnantem didicerat, deliciosius eam

confoveri fecit. Interea regis mater in monasterium virginum, omnibus pro Dei regno postpositis, sese concluserat; ubi Domino frequentius præcum et lacrimarum hostias immolavit. Hujus monasterii custodia et cura unus Episcopus tunc temporis administrabat, et tam intima quam exteriora negocia dispensabat. Cujus imperio virgines in omnibus obediebant, et ad ipsius nutum omnia monasterii officia pendebant. Super omnia tamen Episcopo regiæ matronæ religiosa conversacio complacebat, quæ illam mente amplius quam corpore decorabat. Hinc ergo fuit quod predictam puellam regina in sua custodia habuit, et ad libitum utriusque quæque delectabilia adipisci promeruit. Et quia natura suas leges præterire non potuit, novem jam mensibus exactis, puella ulterius fœtum celare non valuit. Unde secundum tempus naturæ conceptionis fœtum edidit, et virilis sexus puerum parturivit.

[*CAP. VII.*]

Sed modo ad majoris admiracionis gaudium pervenianus. Nam in cunis infans jam natus collocatus est; tantusque fulgor claritatis omnem locum ipsum circumdederat, quod præ lucis nimiæ splendore vix quisquam aliquid intueri prævaleret. Nam vicinis quibusque, et secus positis, tota domus putabatur flammis absumi. Accurrunt itaque quique, ut ignes edaces extinguerent; sed illuc pervenientes, et rem diligentius contuentes, omnia integra et ab igne illesa invenerunt. Eo tempore Episcopus solus pervigil in oratione substiterat, et in oratorio pernox orationibus devotis se supra se elevabat. Dei igitur revelatione de pueri nativitate commonitus, et luminis repentini admirali [*sic*] claritate perfusus, statim de monasterio progreditur; et, quid Dominus novi super terram ostendisset, anxie percunctatur. Vidensque quia domus tota ignibus conflagrabat, nec tamen ignivomis vaporibus absorpta in aliquo lesa deperiret, pro tantæ novitatis miraculo laudes Domino jubilacionis exsolvit. Nichil tamen novum quod in spiritu senserat promulgare vel detegere sub festinacione volebat. Unde mox ad regem clanculo accessit, et pueri nuper in regno ipsius nati adopcionem dari sibi et educacionem promitti peciit et accepit. Nichil prorsus cuiquam ex hiis aperiens, magis studuit divinis parere consiliis quam superis contraire mandatis. Secum tamen cuncta meditando pertractans, statim reginam secretius adiit, et durius conquerendo quæ viderat cuncta retexuit.

[*CAP. VIII.*]

En! inquiens, regina, jam tuis culpis promerentibus, ego confusus appareo; qui in domo religionis prostibuli vitium nunc diutius latuisse cognosco. Ortus nuper enim multorum oculis expositus indicat quam facinorose vitæ tuæ conversacio coinquinata existat. Nam domus hæc Domini sancta polluta profanatur, quæ tanti sceleris contagio maculatur. Sponsam quidem Christi adulteratam castitatis cubile fœdasse jam cunctis innotuit, dum partus inter virgines innuptas tantæ corrupcionis occultari non potuit. Unde de tanto facinore jam mihi rei veritatem edissere, quia secunda est tabula post lapsum per confessionem pœnitere.

[*CAP. IX.*]

Tunc regina, Episcopi indignationem non sustinens, omnia seriatim exposuit; et, qualiter a filio suo rege hæc virgo illi transmissa et commissa fuisset, edixit. Audiens vero Episcopus cuncta, quæ contigerant, cœpit animo pacatior existere, et mansuetius postmodum cætera sustinere. Nunc, inquiens, quia Dei clementia domum istam impollutam custodivit, illi laudum præconia referamus. Indubitanter ergo Episcopus, percunctato negotio, de quo ei hactenus suspecta opinio extitit, nichil sinistrum ulterius credendum judicavit. Nam et reginæ clementiam in puellæ compassione laudibus sustulit, et virginis oppressæ innocentiam pia consideracione mitigando relevavit. Unde reginam blandiciis delinivit, et convitiis exasperatam dulcibus alloquiis consolando refovere non destitit. Puerperæ vero innocuæ conscientiæ miserias, quantum potuit, temperavit; susceptumque pignus natum secum sustulit; et quia infantem ipsum maxime opimorum suorum ex miraculo choruscante didiscerat, omnimodis illi omnibus diligentiorem curam et custodiam adhiberi faciebat. Nec multo post, puerum unda baptismatis perfudit, cui in sacro fonte Hibernico sermone Mullucc nomen imposuit, ad ultimumque literarum studiis fecit institui; et quia in omnibus ipsum vidit Dei clementia effulsiri, ipsum super

omnia diligens absentiam ejus vix quemcunque [*ita*] sustinere potuit. Baptismatis vero sacramenta percepit in civitate quæ ab eis Hartlbrechins [*or* Hartwrechins] dicitur.

[*CAP. X.*]

Quadam vero die, dum Episcopus, more Hybernensium, armentorum suorum ovilia solitarius circuiret, contigit ut secum puerulum spaciandi gracia conduxisset. Quibus dum vacca prægnans occurreret, accidit, ut puer, obvius illi accurrens, et diutius illam intuens, sæpius recedens et rediens ventris inclusa et onera admirando colluderet. Subridens Episcopus itaque et puerum aliquid secreti rimantem contius [*? contuens*], "age," inquid, "puer, et patri tuo dicito quid occulti misterii in prægnantis buculæ videris utero." Cui puer, non pueriliter, ait, "Hujus prægnantis vaccæ uterum sollicite diucius conspiciens video aliquid inesse mirabile, quod tamen matrici sobolis videtur prorsus naturam excedere. Nam cum ipsa nigri coloris exterius tota compareat, nimis videtur esse mirabile qua causa latentis naturæ dissimilem fœtum concepisse prævaleat. Vitulus quidem, qui interius delitescit, totus rubiculo colore flavescit; èt tamen in frontis vertice instar stellæ candentis formam præferre cernitur, quæ nivis recentis similitudini omnimodis coæquatur. Ne mora, prægnans vacca fœtus exposuit, et vitulum, qualem puer prædixerat parturivit. Admiratus ergo Episcopus, prophetiæ spiritum illius pectori inesse didicit, et quanti apud Deum meriti postmodum esset futurus ex miraculo instante præsensit. Puerumque ex eo tempore devotius cœpit amplectendo excolere, et dulcioribus sæpius alloquiis et obsequiis congratulando confovere.

CAP. XI.—Assercio Mathiæ Archiepiscopi.

Quoniam puer Domini omnibus clarus extitit, a paternis suis quædam cariora donaria percepit. Inter quæ, quoddam tintinnabulum, quod lingua eorum *kelim* dicitur, habuit, quod more Hybernensium collo circumtulit. Accidit igitur forte quod kelim pueri lapsu vel impulsu aliquo confractum fuerit, quod puero perplurimam doloris mœsticiam intulit. Tunc columbina ductus simplicitate, fabrum solus adiit, et ut pro Dei amore

kelim suum redintegraret vehementius obsecrare non destitit. Admiratus autem faber ille, quod tam matura prudentia petierit, qui adhuc infra annos pueritiæ exstitit, ejus precibus cedendum credidit; eo quod spiritum Dei per os illius loquentem intellexit. Unde et puero dixit "Pro Deo libenter tuæ voluntati paratus existo, sed artem æris fusoriam penitus ignoro." Cui puer, "Confido in Deo, in quem credo, quod hujus artis pericia non privaberis, si tamen pro ejus amore desiderium meum adimplere volueris." Tunc faber ille, "Qui cælos novit fabricare ipse mihi hujus artis peritiam satis poterit condonare, sed ecce, licet mihi sit voluntas, non tamen suppetit facultas, eo quod longius a nemoribus sumus, et fabrile opus absque carbonibus quercinis efficere nullo modo valemus." Tunc puerulus, "Deus nobis aderit, et adjutorium administrabit. Nam in ejus nomine ibo, et ignis pabulum nobis sufficiens portabo." Acceptoque messoris fasciculo, exiit in arvis, et cyrpos viridantes messuit, quos referens fabro sic intulit. "Credo in Christo quod materiam ad artem fusoriam satis ydoneam attuli." Videns igitur faber fidem pueri, mox cyrpos viridantes arripuit, in struem composuit, ignemque subrogavit. Mirabile quidem visu, et quod dulcius est auditu, totum pro pueri meritis declarandis Christi virtus et clementia effulsit. Nam faber, fornace composita, ære jam liquente, tintinnabulum fudit; et juxta vota utriusque quale desiderabant in medium protulit, et signum integrum puero consignavit.

[*CAP. XII.*]

Est civitas permaxima in Hybernia, quæ lingua Hybernensium Kenanus dicitur, regionis vero illius provincia media vocatur, quæ ditissima feris et frugibus paschuis et nemoribus rivulis et fluminibus copiose illustratur; civitatem et prenominatam Mana fluvius alluit, qui piscibus multimodi generis habundantissime redundare consuevit. In hac urbe, tam deliciosa quam opulenta, puer iste sacer natus asseritur, ubi etiam ab incolis locus illius nativitatis ostenditur, et sanctimonialium cœnobium ex antiquis adhuc ruinis a multis cognoscitur; quod pueri boni pietatis recordatione a comprovintialibus in honoris gloria frequentius excolitur. Hæc Episcopus Eugenius Hardionensis se vidisse et legisse in hystoriis Hybernensium asseruit; in quibus partibus ipse natus et a primæva ætate usque in virum perfectum educatus extitit. In cujus Episcopatus sede Sanctus

Tedanus Episcopus, novem mortuorum suscitator magnificus, requiescit, et patrator multorum miraculorum, quondam in terris vivens effulsit. Quam patriæ provinciam regionibus cæteris Hyberniæ præclariorem et præstanciorem omnibusque rebus fertiliorem asseruit.

[*CAP. XIII.*]

Sed, quia parum ab incepto opere digressi sumus, nunc ad ea, quæ inceperamus, redeamus. Non multo post contigit ut Episcopus, sub cujus custodia puer fuerat delegatus, rebus humanis ex insperato discederet, et præmia laborum suorum a pio judice remunerationis acciperet. Igitur puerulus, tanto patre orbatus, omni pene solacio est destitutus. Materna itaque pietate de filii sui destitucione genetrix fit anxia, et querulis quam sæpius gemitibus et vocibus lacrimosa; advertit quippe puerum solitis carere solatiis, se vero sub trepido metu cotidiano languore deficere, et de regis animi incontinenti inconstantia pavido secum corde ruminare. Verebatur nimirum plurimum, ne rex ferinus, illam iterata feritate opprimeret, et secundi erroris infamiam priori nequicia macularet. Talibus meditationum stimulis matris inquietabatur animus, et diversis fugam ineundi excitabatur affectibus. Hæc enim ei una spes fugiendi superfuit, nec illi ulterius in ipsa terra remanere tutum fuit. Ascito denique puero, cordis sui secreta illi detexit, et causales materias suæ angustiæ et sortis miseræ seriatim aperuit. Adolescens statim maternis adquievit consiliis, quia typo Domini salvatoris suis subesse parentibus non omisit.

[*CAP. XIV.*]

Puerulus autem ante Pontificis obitum symbolum et psalmos Daviticos plene didiscerat. Infinitæ erat pulcritudinis et decoris et venustæ speciei dulcedinis et gratiæ admodum dilectionis. Fama igitur pede veloci comprovinciales quosque præveniendo succenderat, et de cujus progenie tantæ gratiæ pulcritudo prodisset quilibet curiosus inquirebat. Cujus rei inquisicio matrem ipsius non latuit, quæ ejus animum amplius ex timoris dubitacione vexando fatigavit. Sic mater diutius cogitationum stimulis agitata, tandem, quod animo conceperat, operibus adimplen-

dum disponebat. Nam solius fuga consilium advertit sibi et puero salubre fore presidium. Sub nocturno igitur tempore cœpit fugam arripere, puerumque secum tulit; quia pro eo amplius formidavit. Quare nocturna viatrix portus maris clanculo adiit, et ad portus, quos præoptaverat, una cum puero pervenit. Verum, quia diligentibus Dominum Christum omnia cooperantur in bonum, cum ad litus maris contingerent, Deo ordinante, provenit, ut suæ intentioni cuncta congruentia in promptu præparata reperirent. Navis quidem Britanniam aditura in portibus affuit, flatusque ventorum illis secundus arrisit. Quam puer, matre comitante, cum ascenderet, contigit ut improvide liber Psalmorum, ex manibus ejus elapsus, in gurgitis inferiora decideret; unde grandis fuit mentium consternatio, tam puero quam genetrici. Hærentibus illis diu et stupentibus, ecce vitulus marinus de occultis marinis meatibus erupit, librumque, cunctis videntibus, super undas vage fluitantem bucca hiante suscepit et absorbuit. Confestimque prædo vesanus patrias relapsus in undas omnem spem requirendi librum præscidit. Sed Dei virtus, qui prophetam in ventre ceti voracis observavit, illesum pueri sui librum ab omni læsione infra piscis fauces custodivit omnimodis illibatum. Nec tamen mox librum recepit, sed magis mari transito, sicut in posteris intimabitur.

[CAP. XV.]

Quædam nunc interponenda sunt, quæ inveniuntur in hystoria Hybernentium, quæ non sunt omittenda; quamvis videantur esse incredibilia. Erat vir quidam magnus inter omnes Hybernenses, cui præ multimoda suæ sanctitatis opinione nobiliores quique patriæ Dei servicio filios suos informandos contradiderant: et quia ortu simul et natu inter eos clarus effulserat, majori veneracione et laude excellebat. Hic sex pueros cum annis quibusdam educasset, et cælesti Spiritu illos fervere vidisset, supra modum in illorum informacione et dilectione animi sui dulcedinem accendit. Decedentibus denique puerorum patribus, qui consanguinei ipsorum extiterant, ad patrimoniorum suorum jura illos percipienda continue et sæpius compellebant. Et adeo vehementia illorum crevit, quod quandoque violenter de manu religiosi pueros rapere, et in regno patrum restituere decrevit. Huic viro episcopus, nutritor Sancti Cuthberti, moriturus, puerum Cuthbertum commiserat, quem et aliquandiu in sui custodia venerandus senex conservaverat.

Senex igitur una cum pueris fugam iniit, sicque pueros celandos credidit, se [*si*] ipsos in Britanniam, quousque sævitia parentum obdormiret, transferre potuisset. Veniens igitur ad portus maris cum pueris, non sine admiratione maxima super occursu mulieris gratulabundus expavit. Videns rei proventum ex Dei disposicione fieri, matrem una cum filio diligentius amplexatur; et cuncta eis necessaria abundanter ministrari fecit. Sene ergo cum pueris suis a nauclero navi introducto, quam citius serenioris lenitate et arridente ventorum jocunditate, mali machinas erexit et vela desuper pendentia ventorum gratiæ commisit. Qui sulcantes æquora pacatissima, dum minus aliqua ingruere adversa crederent, volvente rota fortunæ, celeri mutationis impetu subito provenit, ut adversus navigantes æstus turbinum nimis importunus insurgeret. Sicque diebus aliquot tempestas motibus inquietissimis viguit, sed, ordinante nutu Creatoris, non modico elapso tempore conquievit.

[*CAP. XVI.*]

Interea visio mirabilis puero ostensa est, sed sive in corpore sive extra esset, ignoratur. Videbatur itaque ei quod anchora eorum usque ad maris yma descenderet, et ecce mirum in modum vidit anchoram quasi cujusdam domatis tignis et tegulis firmius inhærere. At puer incredus [*ita*] de navi sub festinatione descendens, anchoræ suæ ligaturas conatur absolvere, et domus instar apparentis divellere. Ad quem quasi colonus excitus sub celeri maturitate progreditur, et quis habitaculi sui spolia diriperet quasi indolendo conquæritur. Forisque prodiens, et comminus puerum contuens, statim in oscula ruit, et ex lingua puero agnito, nomine proprio illi salutes æternitatis adoptavit. "Bene" inquam "bene, puer pie, adveneris, qui supernorum civium consors, Deo præordinante, consistis. Diu enim est ex quo tui adventus causa mihi innotuit, et mihi te in hiis partibus visurum gratia divina promisit. Nec de tam insoliti eventus causa jam metuas, eo quod corporeo contuitu modo inspicis, futuræ vitæ tuæ exempla præfigurata cognoscas." Apprehensaque manu pueri quasi sub domate cum eo subiit, et tria vascula admirandi operis pueri manibus consignavit, quæ baccilia heros ille nominavit. Cui subjungens intulit. "Eya, mi nate, hoc vas tibi debetur in proprium, et duo reliqua tuo cedent magistro; vide ne tuum a te dimittas." Domum ergo exiens, mox anchoram absolvit, puerumque libe-

rum abeuntem redire permisit; dicens, "Vide ut senem præceptorem tuum ex meo nomine, quod est inexplicabile, salutes, et quid hæc omnia tibi portendant plenissime ab illo discere poteris."

[*CAP. XVII.*]

Puer vero statim magistri vultibus præsentatur. Senex vero mox visis vasculis subrisit, et uno eorum dato puero intulit. "En, puer, mira in te futura virtus divina præsignavit." Erat autem vir ille, qui puero comparuit, matura facie et cana pulchritudine perfusus, et velut ignis rutilans flamma choruscus. Petente demum puero, ut ei magister visa secretiora exponeret, ille obsequens, omnia dilucide instituit, ut enodatius aperiret. "Senex" inquiens "canus et maturus Dei nuncius tibi astitit, futura compendiosius detecturus. Nam navicula, qua salo devehimur, ecclesiæ sanctæ est cura, quæ tuæ in alienis partibus custodiæ a Domino delegatur. Domus cui inhæsit anchora, cælestis est et solitaria mansio, quæ tibi in aliena præsignatur provincia. Hæc tria vero vascula unius in sancta trinitate Deitatis colendæ et prædicandæ præsignant exemplaria. Quorum mihi duo debentur, quia rudibus populis credentibus, duo tantummodo sunt præcepta prædicanda. Uno vero vase solitudo tuæ religiosæ conscientiæ ostenditur, quæ aulæ unicæ Deitatis futura prædicitur. Non equidem ulterius vivens in corpore in has provincias es reversurus, sed magis per Britanniæ fines gentes plurimas conversurus incredulas. Nam ea, quæ vidisti, sunt exemplaria futurorum, non fantastica ludibria somponiorum." Ad litoris optati portum demum pervenientes cuncta sibi salubrius arridere congaudent, et Dei munera sibi in misteriis revelata, cum multa cordium alacritate sustollunt.

[*CAP. XVIII.*]

Ecce igitur illis in portu residentibus et certatim de navi in Angliæ littora progredi festinantibus, subito cum impetu maximo vitulus ille marinus adveniens, exitus litoris anticipat, et librum super aridam evomuit. Tunc congratulans comminus accessit, librumque suum recepit. Videns denique puer librum

penitus illæsum et ab aquarum voragine liberum, Deo admirabili laudes reddidit, cunctorumque animos ad Dei gloriam prædicandam erexit.

[*CAP. XIX.*]

Ut autem ad liquidum ea, quæ de illo audivimus, explanemus, traditiones et opiniones vulgares non tacebimus. Tradunt siquidem tam Hybernenses tam Galwienses et Scotti, quod puer Domini pro miraculis, quæ per eum Deus ostendit, multis exosus in terra sua fuerit. Unde nonnulli consuluere ut fines suos relinqueret, et regna profugus aliena adiret. Quibus respondit, se hoc nullo modo facturum, nisi ei navigium præstarent prius insolitum. Protinus promisso lætificati, sub hyronica subsannatione dura rupe ei naviculam quandam, quam corrok nominant, præsciderunt, et statuentes in littore, ut in ea navigaret præceperunt. Mox itaque et [? *ut*] super eam signum crucis edidit, curroc lapidea super undas æquoreas enatavit. De cujus sanctitate admirantes, cum iter ejus propositumque nullisque ulterius possent precibus impedire, ipse cum matre et sociis clam nocte discessit: et miro modo in lapidea devectus navicula, apud Galweiam in regione illa, quæ Rennnii vocatur, in portu qui Rintsnoc dicitur, applicuit. In cujus portus littore curroc sancti Cuthberti lapidea adhuc perdurasse videtur. Post hæc, curroc lapidea in Galweya derelicta, navim aliam subiit, et alio portu, qui Letherpen dicitur, in Erregaithle, quæ est terra Scottorum, applicuit. Portus ille inter Erregaithle et Incegal situs est, lacus vero, qui ibi proximus adjacet, Loicafan vocatus est. Non tamen amplius quam tres viri cum matre et filio extiterant qui applicuerant.

[*CAP. XX.*]

Exeuntes igitur ad ignem se califaciendum, quia hybernum tempus extitit, construere volentes, sicca sarmenta circumquaque ex vepribus miricarum collegerunt, et aggregatim in unum locum composuerunt. At quia locus ipse latrocinia ac homicidia cum prædis et rapinis exercentium proprius est, sicarii ibi morantes accedentes, et armillas aureas in brachiis nobilis mulieris clarius relucere videntes, cæca cupi[di]tate ducti, subito

cum lanceolis hinc et inde accurrunt, et innocuam mulierem transfodere ac occidere festinarunt. Idem puer intuens, mox ad arma orationis convertitur, et Dominum pro tantæ cladis miseria evitanda, supplicando devotissime deprecatur. Et quia precibus postulantium Dei clementia abesse non renuit, dum alter alteri occurrere debuit, socium sibi obvium et occursantem repente confodit. Sicque illi tres in invicem confossi occubuere, et in momento Deo vindice periere. Area deinde composita sarmentis undecunque collectis, et in acervi morem congestis, mox ignem de silice percusso eliciunt, et incensis sarmentorum ligneolis, se calefecerunt. Miroque contigit modo ut a die illa, ac deinceps, usque in hodiernum diem, area ipsa ligneolis sive sarmentis superimpositis per se fiat ignivoma, quam incolæ ex merito pueri illius provenisse affirmant.

[*CAP. XXI.*]

At mater, exinde procedens, cum ad fines Scotiæ pervenisset, Sanctus Columba primus episcopus in Dunkel puerum suscepit, unaque cum puellula quadam, nomine Brigida, ex Hybernia oriunda retinuit, et aliquamdiu educavit. Tandem tres australes clerici de regione Anglorum, qui in excubiis secretioribus Episcopo deservierant, pueris ipsis ob familiariorem domini sui gratiam insidiari ac invidere non desinebant. Erat igitur prædicto Episcopo avis, vulgo merula vocata, quæ humano quodammodo edocta, omnibus eam pascere, contrectare, vel palpare volentibus, erat pacatissima, domestica, ac mansuetissima: Ex qua occasione concepta, clanculo aviculam clerici peremere, ipsiusque necem pueris cum accusatione nequissima imposuere. Pueri vero adinvicem mœsti, facinus impositum abnegabant. Episcopus tamen satis istorum cognovit innocentiam, et aliorum erga illos nequitiam, nec tamen alios aliis præponere voluit, sed contendentium probra conticendo compescuit. Tali accusationis crimine pueri in se confusi, ad expostulandam Domini super se clementiam, exanimi toto conamine sunt conversi. Unde in presentia Episcopi positi, puer Cuthbertus ita ad Deum perfusis precibus exorsus est. "Tu, Deus, conscientiarum omnium inspector et arbiter, utrum nos facinoris hujus fuerimus executores, da indicium tuæ magnificentiæ ac virtutis; petimus ut quantocius qualia commeruimus, nunc instante hora percipiamus; quia si neque talem unquam concepimus nequitiam, aut perficere deliberavimus, obsecramus ut, dextera tua

favente, virtutem in mortuam aviculam viventem recipiamus." Quibus dictis, mox avis mortua vivens se erexit, ac more sibi quondam solito jocari, exilire, ac mansuetissimam se cunctis exhibere, populo spectante ac mirante, cœpit.

[*CAP. XXII.*]

Tunc puella Brigida, ad puerum conversa, ait. "O puer dilectissime, nos, Deo providente, expedit nunc interpositas nationes adire. Nam te Anglis in oriente hujus provinciæ oriundis Dominus destinavit, me autem occidentalibus terræ Hybernensium accolis reservavit." Consolantesque se et abinvicem decessere, nec sese postmodum in carne viventes viderunt. Postmodum vero una cum matre puer ad insulam, quæ Hy dicitur, profectus est; ubi aliquandiu cum religiosis viris loci illius conversatus est. Mater autem pueri, quia duos fratres germanos Pontifices in provincia Scottorum habuit, Deo inspirante, ad invisendos illos ire disposuit. Uterque etenim in Scotia Episcopii sedem habuit. Quorum unus Meldanus, alter vero Eatanus vocabatur. Soror igitur eorum una cum ipsorum nepote illo properanter abiit, et omnia quæ in vita vel in via eis contigerant, patenter exposuit. Intimavit autem eis se votum fecisse Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina invisere disposuisse, et hujus voti compede et desiderio, etiam antequam de Ybernia exiret, se coram Dei præsentia sub fidei fœdere colligari. Spiritus Sancti denique virtute fratrum pectora docente, puerum de matris sinibus eductum percipiunt; et pro votis suis adimplendis, sororem quæ decreverat diligentius instructam abire permittunt.

[*CAP. XXIII.*]

Episcopi igitur Meldanus et Eatanus puerum in sua suscipientes, cuidam Lodonico religioso committunt viro: ubi puer Cuthbertus inter coætaneos cum simplicitate deguit. Nullus equidem inter consocios mitior, vel jocundior esse potuit; quia inter suæ ætatis compares omni delectationis genere se libenter exercuit. Unde omnibus in cunctis complacuit, quia omnibus se omnia pro suo posse vel virtute exhibuit. Qui aliquando

pueris solito more ludentibus, Cuthbertus se jocis ipsorum inseruit, et cum jocantibus ipse satis jocundus apparuit. Quidam ergo saltu, alii luctuamine, vel alio quovis sinuamine exercere cu: :.bant. Nonnulli vertice capitis in terram depresso, pede utroque in sullime porrecto, se subrigere decertabant. Quorum æmulans Cuthbertus industriam, capite solotenus illiso, et pede utroque in altum porrecto, mirum in modum vestes illius nesciebant decidere, sed sine replicatione rigide stabant. Reflecti quidem noluerant, sed circa tibias pueri involutæ, ei honoris reverentiam exhibebant. Hoc primum miraculum in terra ista de puero illo innotuit, quo Spiritus Sanctus ipsum sibi vas futurum gloriæ præsignavit. Locus ipse etiam adhuc incolis patriæ notissimus habetur, in quo nunc ob illius honorem ecclesia Domino consecratur; quique a puerorum colludentium agmine, usque in hodiernum diem Childeschirche vocatur præagnomine, illi dans honoris æterni testimonium, qui in æternitate vivit in secula seculorum.

Explicit Libellus de Nativitate Sancti Cuthberti de Hystoriis Hybernensium exceptus et translatus.

[*CAP. XXIV.*]

Postquam beatus puer Cuthbertus in terram Scoticam applicuit, in diversis finibus conversari aliquamdiu cœpit. Et quia a primæva ætate Spiritus Sanctus in ejus pectore sibi domicilium effecit, ubicunque deguit semper religiosæ conversationis studium atque propositum gessit. Veniens itaque in urbe, quæ Dul dicitur, urbana deseruit et solitarius esse delegit. Est siquidem ibi in proximo, non longius miliario uno, in silvestribus nemorum locis, mons multæ altitudinis satis arduus, qui ex nulla nisi ex sola australi parte adiri sive conscendi potest. Qui mons ab incolis illius regionis Doilweme vocatur, quod latine area perpulcra et amœna interpretatur. In hujus igitur montis cacumine Beatus Cuthbertus solitarius cœpit habitare, antequam nullus hominum propter frequentes fantasias dæmonum prius ausus fuerat moram facere. Cui specie visibili simul et terribili hostis antiquus multociens apparuit, et minis simul et jaculis in eum irruens ipsum de loco conturbare sategit. Sed servus Dei Cuthbertus minas adversarii contempnens, de loco, quem incoluit, abscedere noluit. Sed quia mansio illa aqua erat indiga, utpote in montis saxosi vertice sita; ibi beatus puer

Cuthbertus suis sacris precibus de rupe durissima fontem elicuit, qui usque in præsens aquas perhennes emanare non desinit. Qui sic moderante providentia divina juges aquas effluit, ne usibus inhabitantium superfluat, sed neque haurientibus copia desit. Cujus non major est latitudo quam pene bipedalis in suprema ejus superficie, quem lapis prægrandior illius fontis os jugiter superpositus operit, quem Sanctus Dei ori fontis superposuit. Aqua vero illius satis ad gustandum dulciflua et ægrotantibus plurimum sapida atque salutifera fore probatur. Et quia fons ille peramplæ interius latitudinis, simul et altæ profunditatis semperque usque ad summum indeficientibus plenus est aquis: unde est quod si quis lapidem prædictum a fontis ore sustulerit, statim aqua ebulliens super effluit, et violentibus undis metas marginis sub temporis momento super excedit. Festinus proinde quisquis aquas cum hauserit, lapidem amotum loco priori locare intendit, quia juxta quod tradunt Scotti, si lapis diutius aut penitus amotus fuisset, unda ebulliens omnem Scottorum regionem aquarum inundantia operiret.

[*CAP. XXV.*]—*Miraculum Beati Cuthberti.*

Solitariam igitur ibi viro Dei vitam agente, cœpit ei hostis tortuosus eo altius invidere quo locum ejus conversatione solitum illi conabatur arripere. Quod advertens vir Dei, crucem magnam lapideam in media montis planicie erexit, et adeo in sullime extulit, quod nisi per gradus adiri non possit: oratorium vero sibi de lignis informibus exstruxit, et postea vas quoddam balnearium de lapide integro sibi fabricavit, quod non longe a cruce prædicta locavit. In quo, ut asserunt, aqua impleto, intrare consuevit, et ibi noctes insompnes in aquis frigidis ducere, et manibus in cælum protensis, evigilare usque ad diluculum ante Domini orando conspectum qui fecit illum. Quod vas adhuc in montis vertice permanet, et spectaculum multæ devotionis cunctis intuentibus præbet. Quibus ejus piis operibus diabolus atrocius invidens, vas sibi aliud lapideum in ejusdem montis supercilio effecit, quasi Dei servo illusurus; habitaculum balneare construxit. Sed vasculum Sancti moderatæ est quantitatis, vas vero adversarii incompositæ et enormis magnitudinis. Quadam denique die vir Dei colluctatoris sui inimica contubernia diutius sustinere noluit, quia inter servum Dei et Belial nulla conversatio esse potuit, fustem prægrandem quasi palum fullonis arripiens et hostem insequens, de loco in locum illum pepulit, et per-

sequi fugientem non desiit, quousque ipsum ultra montis verticem usque in vallem præcipitem ruere compulit. Unde usque hodie omne nemus ex parte australi qua fugatus corruit quasi in declivo devexi montis pondere videtur. Miro vero modo adhuc vestigia pedum, videlicet tam Sancti Cuthberti quam diaboli, hactenus per saxa impressa fuisse videntur; quæ nec vetustas temporis diluit, nec aquæ pluvialis usque in præsens delere prævaluit; sed vestigium Sancti Cuthberti satis decenti forma præminet, diaboli vero latum, incurvum, magnumque et distortum. Quicunque vero debilia sua membra vel languentia supra vel infra Sancti Cuthberti vestigia impressere salutem perceperunt.

[CAP. XXVI.]—*Miraculum.*

Post multum vero temporis Beatus Cuthbertus a finibus illis abcessit. Hujus igitur loci pacem infringere nemo audet, quamvis forte regem vel aliquem præpotentiorem terræ peremisset et illic posset effugere. Nullusque aliquam mulierem illo impune introduxit, quia beatus Cuthbertus mulieribus habitationum suarum introitum interdixit. Quod comes quidam Scotiæ, videlicet Madet Maccrie Mori id est filius Mori, experimento didicit; quia dum quodam tempore opus perpetrasset puniendum morte, regis David tempore, illo confugit, et diutius in pace permansit. Novissime vero uxorem et filias illo introduxit, qui eas subsequens, dum ad fastigia loci aditus pervenit, mox in præceps coruit; et coxam genu tibiamque tam valide contrivit quod nulla post modum arte curari prævaluit. Mox igitur mulierem abegit, nec unquam postea, sicut nec prius, mulier aliqua locum illum intrare præsumpsit. Iu Pictorum finibus Beatus Cuthbertus vitæ solitariæ colonus aliquamdiu extitit, ubi concursus populorum ad ipsum invisendum multus frequenter fuerat, quia, Dei gratia providente, nullus expers consolationis gratiæ ab eo recessit. Senes itaque cum junioribus ad illum confluebant, quia illius alloquiis vel aspectibus congaudebant.

[*CAP. XXVII.*] *Quare mulieres non intrant ecclesiam Beati Cuthberti.*

Interea contigit quod filia Regis provinciæ illius, in domo patris adulterata ab aliquo juvene, conciperet, uterusque ejus impregando intumesceret. Quod rex, ut comperit, et sollicitius facinoris auctorem perquisivit, et diligentius investigans, talia ab illa percepit. Juvenis ille solitarius, qui in vicino habitat, me oppressit, et sua speciositate seductam decepit. Tunc Rex, indignatione nimia furibundus, plurimo constipatus mente [*ita*], una cum filia corrupta ad solitudinum loca perrexit, et ita ad servum Dei exorsus dixit. "Tune es, qui sub specie religiosa Dei templa prophanando polluis et sanctuaria? Tu sub scemate solitarii omnem spurcitiam exerces cultus immundi et incesti? Ecce hic filia mea, quam tuis ludibriis corrupisti et adulterari non timuisti. Nunc tamen palam tui sceleris noxam aperiendo confitere, et quomodo hanc seduxeris coram cunctis edissere." Puella igitur, auditis verbis patris, pertinacius irrupit, et constantius ipsum hoc facinus in eam commisisse contestando asseruit. Miratus juvenis et obstupefactus, commenta hæc diabolica esse persensit, plurimum anxiatus, et ad Deum tota mente conversus dixit. "Dominus Deus, qui solus occultorum est cognitor et assertor, ipse hoc opus iniquitatis manifestando comprobet, et comprobando manifestet. Sed neque id humano judicio comprobando notificet, sed divino id potius miraculo revelando declaret." Cum hæc vir verbis gemebundus et profusus lacrimis perorasset, quod dictum est mirabile, subito in loco quo ipsa stetit terra deiscens, os suum aperuit, et in oculis omnium ipsam absorbendo deglutivit. Locus ille adhuc Corruen dicitur, ubi ipsa pro corruptionis suæ ruina in infernum cecidit. Hæc igitur pater puellæ cum multitudine sua perspiciens fieri, cœpit nimis timoris et doloris stimulis detorqueri. Timebat quidem nimium quod sanctum convitiis impetisset, ne se consimilis vindicta corriperet. Unde ipse cum suis omnibus suppliciter Dei misericordiam postulabant, et ipsius sancti orationes eam sibi apud Dominum optinere devotissime deposcebant. Quibus ille benignius indulsit, sed mulieris consortium circa se ulterius non admisit. Inde igitur provenit quod suam ecclesiam feminas intrare non permisit, quod hactenus in patria Pictorum artius observatur, ubicumque ipsius honori ecclesia

dedicatur. Sanctus exinde Domini illis diutius in partibus morari noluit, sed postmodum conversationis alterius loca simul et vota expetendo permutavit.

[CAP. XXVIII.]—*Alia ratio.*

Moderno tempore quidam solitariæ vitæ in silva quæ lingua Anglorum Moddri dictur, deguit; qui prius monachus professus in Luchefeld extitit, qui Radulphus de Nuers dicebatur. Contigit denique ut Prior ipsius, illum ad sollempnia Sanctæ Mariæ invitaret, quæ festivitas principalis apud illos habetur. Qui nil moratus libenter patris sui edictis obtemperare volens, quælibet commoda et ydonea proposito itineri præparavit. Nocte igitur instante in cujus diluculi matutino tempore proficisci disposuit, post solito quietis sompnium, vigilias de more peregit. Et ecce subito tædio soporis opprimitur, soporque repentinus in eum irruit, et sensus omnes exterioris hominis abstulit. Et ecce repente vir quidam venerandus, pontificali indutus infula, ei in visu ymaginaliter astitit, et verbis lenioribus ipsum conveniens intulit. "Quare" inquit "locum istum in tanta sollempnitate decrevisti deserere, et me hujus loci quondam colonum et nunc procuratorem servicio Dei destitutum derelinquere? Ego quidem sum Cuthbertus Lindisfarnorum quondam Episcopus, a Christo divino munere consecratus, locusque iste olim mea habitatione a Deo sanctificatus est" Antiquis vero temporibus hæc Sancti Cuthberti platea dicebatur, quia quicquid intra istius arce septa introierat illæsum ab omni incursu rabido ferarum sive hominum custodire consueverat. "Unde moneo ut ulterius locum meum servitio Dei desolatum non deseras." Quibus dictis, vir Dei a facie illius evanuit, et solitarius ille in se reversus quam citius de sompni visione surrexit, stupefactusque et consternatus diutius secum super hujusmodi visionem turbatur, et quicquid revelatio ipsa protenderet examinare cœpit. De Beato quidem Cuthberto nichil eatenus noverat. Cum hæc secum mente tacita volveret, subito aurora oriente senex quidam veteranus ad fores atrii exterioris astitit, et pulsando acrius et clamando sæpius, aditum tamen a ministris impetrare non potuit. Tunc ille vehementius aditum postulans, semper Beati Cuthberti patrocinium et auxilium invocavit. Tandem solitarius audiens, januamque aperiens, quare Sanctum Cuthbertum totiens importunis vocibus impeteret diligentius perquisivit. Tunc senex, "locum istum Beati Cuthberti dedicatum nomini, et

quondam illius mansionis sanctificatum honori, a nostris progenitoribus atavis frequenter audivimus, et pro istius sanctitate crebra istic facta fuisse miracula sæpius experimento didicimus. Sicut enim patrum traditione comperimus, olim in hac nemorum solitudine tanta luporum multitudo et sæva ingluviei rapacitas extitit, quod nichil viventium hominum ve ferarum perdurasse potuerit. Omne vero quod hujus septa concluserant, nullius molestiæ rapina fatigare præsumpserat; neque unquam prædones, fures, vel alterius malignitatis cultores intra hujus territorii septa prævalabant aliquem attingere. Unde non tam animalibus quam hominibus locus iste suffragium et auxilium est, sed etiam cunctis mortalibus refugium et protectio. Tempore namque lupinæ feritatis quique comprovinciales sua peculia infra hujus loci ambitus compellebant, et omnibus feris immitibus circumquaque ea insidiantibus nunquam præfixas areæ limites prætergredi præsumebant. Sibilare, frendere, et rugire adversus ea poterant, sed excedere ejus fines penitus non valebant." Hiis dictis, solitarius supra modum stupefactus, Deo gratias reddidit, et ex eo tempore Beatum Cuthbertum devotissime excoluit, quia de hiis quæ viderat et audierat dubitare non potuit. Ferunt autem illius loci incolæ quod usque in hodiernum diem infra limites ipsius areæ nec fures effodiunt vel furantur, vel animalia seu quælibet alia de loco illo injuste violenter vel fraudulenter possunt auferre. Locus ille Moddri dicitur, distatque a civitate Bedeforde quatuor circiter miliaribus.

[*CAP. XXIX.*]—*Alia.*

Episcopante Beato Cuthberto, semper castimoniæ decus, et continentiæ virtus, circa se suosque rigendo claruit, et justitiæ cultus et honestatis affectus floridus tam in actibus quam operibus piis cotidie crescendo comparuit, Ad devitanda denique malæ suspicionis obprobria, semper feminarum suis interdixit contubernia vel frequentata consortia. Quodam exinde tempore dum Sanctus Pontifex in monasterio de more redimitus extitit, processionis ritum celebrando exequi debuit: hæc quidem diebus solempnibus solitus erat agere, et subsequenter vel sacrosancta conficere vel diutius rudibus populis monita cœlestia dispensare. Exeunte ergo ad hæc officia pontifice, subito inter verba Dei quæ prædicando seruit, vidit plerosque hominum cachinno resultando ridere. Jam quidem quique alias intendebant, et quasi ad spectacula præmirifica contuenda nonnulli con-

socios invitabant. Circumspiciens ergo episcopus videt quandam sub specie mulieris mirabiliter radiantem, et crine et facie cum nitente vestium varietate miro modo fulgentem. Omnem siquidem humanam effigiem sui pulcritudine præcellebat, et ornatus ipsius omnes texturæ mundanæ sagacitatem vel peritiam exuperabat. Unde quicunque illius vultus inspexerant præ nimiæ cupidinis lascivia pene seipsos excesserant. At episcopus cum festinatione aquam benedixit, et aspersorio in ea intincto, in ymaginem fantasticæ delusionis injecit. Statim fantastica delusio oculis delusi populi non comparuit, sed maxima parietis parte ecclesiæ secum evulsa sub momento in auras inanes evanuit. Tantoque fœtore nares omnium suis ludibriis deceptorum perfuderat, quod vix ex horrore tanti stercoris quispiam subsistere prævalebat. Nam quorumcunque animos luxuriæ flamma succenderat, horum sensus quam maxime fœtor ipse prægravabat. Tunc episcopus sermonem commonitionis intexuit, et de immundiciæ incontinentia prædicavit. "Ecce," inquiens, "vos modo oculis corporalibus inspexistis, quare olim tam crebro feminas ab omni limite ecclesiæ meæ separandas didicistis. Nam nunquam viscus diaboli ludibriosius sive perniciosius suscipitur, quam in domo Domini, ubi castitatis hostia cotidie immolatur. Nec citius unquam virus deceptionis inserit, quam astuta feminarum decipula, quæ et de paradiso animas fragiliores expellit. Quare ex hoc tempore feminarum accessus in meis a modo ecclesiis prohibeo, quia spiritum fornicariæ falsitatis, quem vidistis, neque vos vel meos a Dei servicio retardare permitto. Quod si aliqua impudibunda scienter se ingesserit, scio quia Deo vindice citius punietur. Hæc quoque vobis prædico in posterum quia nonnullas jam video ausu suo temerario Dei offensam et meæ indignationis pœnas incursuras." Denique hæc ejus præcepta hactenus observantur, et si quandoque transgredi presumuntur, semper ultione celerrima expiantur. Hæc de Scottorum paginis et scriptis exscripsimus, sed quia seriatim exponente interprete verba singula liquidius transferre nequivimus, sensibus explicandis operam dedimus et in linguam istam transtulimus. Quia maximis viris et nonnullis Hybernensium episcopis perorantibus de Beati Cuthberti natalibus præclara quædam audivimus, illa prout decuit in hoc libello inseruimus, et unius corporis effigiem de compage artuum diversa compegimus. Quæ enim sancti pontifices in lingua sua et terra de tanto puero legerant omnino silentio sepeliri non debuerant. Nam fortasse pro eo illos Deus ad nos venisse compulit, quia Beati Cuthberti natalia in cineribus ignorantiæ vel oblivionis sordere diutius noluit. Et

revera quisquis ipsorum sanctitatis vestigia noverat, de verbis illorum et veritatis protestatione dubitare non poterat. Sanctus equidem Malachias regi David Scottorum quam plurima de hiis retulit, et Maurilius successor ejus Archiepiscopus eadem postmodum confidenter astruxit, quibus Eugenius Hardmoniæ Episcopus quædam distinctius annexuit; sed et duo alii episcopi quorum jam nomina exciderunt, una cum sociis ipsorum presbyteris et clericis sub diverso tempore nostris uberius in auribus infuderunt. Fuere etiam nonnulli quamplures et cæteri qui hæc et alia de ipso penes nos soliti fuerant contestari, quorum singula paginis videre, modum rationis fuisset excedere. Unde exemplari nostro quosdam florum manipulos inseruimus et tunicam virtutum polimitarem Beato Cuthberto de tot probabilium testimoniis compegimus et intexuimus. Hæc igitur ad honorem et gloriam Beatissimi Cuthberti descripsimus, quæ ei fore grata munuscula postulemus. Age, ergo, Beate Pater Cuthberte, apud Deum jugiter et tui egeni miselli continue memor esse dignare feliciter, et tuis sacratissimis procumbentem lacrimose vestigiis, una tecum gaudiis insere sempiternis. Ubi semper vivis et gloriaris in gloria, Christi cohæres gratiæ, per seculorum secula infinita. AMEN. *Explicit Libellus de Nativitate Sancti Cuthberti.*

VITA

SANCTI CUTHBERTI

METRICE SCRIPTA.

VITA SANCTI CUTHBERTI.

[*CAP. I.*]—*Oratio ad Sanctum Cuthbertum.*

O Pater Anglorum, Patrum par Angelicorum,
Tu, Cuthberte sacer, pronis pius hostibus acer!
Te mihi suspiro, te spe, prece, mente, requiro.
Novimus alter erit, tua qui suffragia quærit,
Tristis lætatur, flens ridet, egensque beatur;
Nunc hilaris mœsto, misero miserator adesto.
Sum mœstus plane; quod vixi, fugit inane.
Fugit enim dixi, vita nil utile fixi.
Quantum peccavi! flens crimina, post iteravi.
Quæ bona, quæ liqui, nil detestatus iniqui?
O me peccantem! sprevi peccando tonantem:
Quem quotiens sprevi; me de cælis abolevi.
Exosus cœlo, terræ, cur vivus anhelo?
Postponens Christum; delegi mortis abyssum.
In baratri fundum mergit scelus omne profundum.
Horreo peccantem, me dico tanta patrantem.
Non fero me talem, me conspiciens animalem.
Fonte Dei lotus renovabar et unguine fotus,
Splendidus exivi; sed mox sordes repetivi.
Væ michi! peccavi; culpas culpis cumulavi!
Væ michi! quo vadam? novus in me decidit Adam.
Ingemino væ! væ! repeto væ! filius Evæ!
Non tolero memet, nec possum linquere memet.
Tu locus effugii, pater, es, patiaris adiri.
Huc magis ipse cito miseri miserendo venito;
Respice languentem, peccati morte paventem.
Exora Jesum, velit ut me visere læsum:

Saucius ex telo culpæ, medicamen anhelo
Fer precor antidotum ; medicus medicina dolorum,
Porrige, quæso, manum ; facies mox surgere sanum.
Porrige, quo mundum reddat baptisma secundum.
Spes mea post Christum, prece pellas omne sinistrum.
Oro juvare velis, et mox tibi stabo fidelis.

[*CAP. II.*] — *Quod a trienni puero predictus sit Episcopus futurus.*

Posce mihi flatum, quondam tibi mistica fatum;
Quæ puer octennis perdiscis ab ore triennis,
Hæc tibi dicentis, gradui contraria sentis;
" Præsul Cuthberte, decet haud te ludere certe;
Jam ludi jugis cesses insistere nugis."
Voce novi vatis reprimis studium levitatis.
Cum puer infanti pares tibi tanta profanti,
Quæ per eum fatur tibi, virtus te comitatur.
Semper abhinc Christo stas firmans corda magistro.
Me, pie Cuthberte, precor ad meliora reverte:
Tuque, Deo macte, tu sacris usibus apte,
Oro devotus, pravos mihi comprime motus:
Comprime virtuti quicquid nocet atque saluti:
Auctor donorum, spiramen, origo bonorum,
Qui tuus instructor fuit atque per ardua ductor
Me doceat mentem sacris stabilire fluentem;
Protegat atque regat, mecum per secula degat.

[*CAP. III.*] — *Quod claudus ab angelo sit curatus.*

Arcebat gressum vis sæva dolore repressum;
Claudus vix ibas, sed et hoc post pauca nequibas.
Mox ope divina reparavit te medicina;
Cum te de cælis unguenta fovent Raphaelis.
Te petit, affatur, palpat, docet, et medicatur:
Tu, sic sanatus, sanato meos cruciatus;
Quos tolerans anima detrusa gravatur in ima.
Nil pœnale magis scelerum sub pectore plagis.
Fac ut ab his morbis me sanet Conditor orbis:
Fac, rogo; si quæris, mox effectu potieris.

[*CAP. IV.*]—*Qualiter rates a tempestate liberaverit.*

Inde rates quinque morti labendo propinquæ
Pertulerant ventos fluctusque maris violentos.
Jam procul apparent, velut aves gurgite narent;
Jam mare concissum miseris patefecit abyssum:
Morte sua certi riguere salo cooperti:
Tu meritis crescens in litore stas adolescens,
Stas equidem totus pietatis viscere motus,
Inque solum stratus mittis super astra precatus;
Dumque preces fundis tempestas cessat in undis;
Flamina vertuntur, terræque rates referuntur;
Mortibus abstracti, gaudent in litora jacti.
Te sanctum fantur, qui rem stupidi speculantur.
Me quoque, magnifice, precor, omnipotentis amice,
Duc de tormentis mundi per inane furentis
Ad patriæ portum, paradisi scilicet ortum.

[*CAP V.*]—*Quod animam Sancti Aidani in cælum ferri vidit ab angelis.*

Pascebas pecora jam noctis pervigil hora;
Orans intente transcendis terrea mente;
Quo tu tendebas sanctum transire videbas,
Angelicis castris comes Aidan gaudet in astris.
Fac ut eo tendam dum morti jura rependam,
Meque ferens cœlis manus assumat Michaelis.

[*CAP. VI.*]—*Qualiter itinerans cibos a Domino perceperit.*

O Juvenem tanti, cui per deserta vianti,
Dum cruce pro Xpristi (ita) cruciari te voluisti,
Perstans jejunus donatur ab æthere munus:
Nam majore mora, dum psallis vesperis hora,
Dat cum carne quidem tibi panem Christus ibi em;

Cui fueras tanti laudes canis omnia danti;
Atque refers grates pie flexo poplite vates.
His equidem donis in amorem relligionis
Ut fax ignescis, pastus cœlestibus escis.
Esca meæ mentis sit gratia cuncti-potentis;
Hanc de se pascat, ut quod nocet inde labescat.

[CAP. VII.]—*Qualiter monachus vixerit.*

Hinc monachus factus, monachiles perficis actus;
Conversans digne, Christi flammaris ab igne.
Ut sis perfectus procedis in ante-profectus.
Defectum nescis, sed semper in intima crescis;
Ut stagnum rivo, vel torpens ignis olivo:
Stas specimen morum, doctor doctoris eorum.
Subdis majori castissima membra rigori:
Carnis cura gravis, carnis despectio suavis;
Fitque tibi carum quod mundus ducit amarum,
Sic dignus cœlis, sacer actu, mente, loquelis,
Congressus mundo pugnasti fine secundo.
Eja! Cuthberte, valeam bene vivere per te;
Quicquid inest mundo contempnere corde profundo;
Nonque favere cuti, pia quærere, legibus uti;
Ut vivam cœlo conatu semper anhelo.

[CAP. VIII.]—*Quod angelum hospitio recepit.*

Quam felix hospes, cui venerat angelus hospes!
Plantas et palmas refoves et diluis almas;
Pane cibas illum, tu pane cibare per illum;
Pane quidem trino, quos attulit e paradiso.
Lilia candore præcellunt, mella sapore,
Fragrantesque rosæ suavi superantur odore.
His invitatus magis appetis alta beatus,
Pastus ut in terris paradisi pane referris.
Christi conviva, michi fer, peto, fercula viva;
Fer prece, qua polles, quia sic michi noxia tolles:
Fac vivi panis nunquam mea mens sit inanis.

[*CAP. IX.*]—*Quod Boisilus sibi predixerit futura, et qualiter post illum Cuthbertus predicaverit.*

Dux tibi virtutum Boisil canit omne futurum;
Hoc solum triste tibi vir prænuntiat iste,
Pontificale jugum te splendidius subiturum.
Ut Boisil rite transivit ad atria vitæ,
Officio vatis functus, zelo pietatis
Suades atque vetas; operaris mira; prophetas
Perlustras; tenebras, supera vi, corda penetras;
Ore sacro pandis cœli secreta beandis;
Et quæ sanctus amas discenda tenendaque clamas.
Cor michi, quæso, para, sacræ sit legis ut ara;
Semper ut id discat quo semper culpa fatiscat.

[*CAP. X.*]—*Quomodo egresso de mari, in quo pernoctaverat, maris animalia obsequium prebuerunt.*

Intrans ad collum per noctis tempora pontum,
Reddis vota precum summum penetrantia cœlum;
Egressoque mari maris indigenæ famulari
Mox tibi venerunt; pedibus stratæ jacuerunt,
Flatibus et villis recules perfotus ab illis.
His actis, lutreæ patrias sub aquas rediere.
Fratrem, qui vidit, languorque pavorque cecidit:
Sed virtus sanat tua cui benedictio manat.
Christi servitor, virtutum magne petitor,
Fac in aquis secli me quærere gaudia cœli;
Perque Dei cultum mundi superare tumultum.

[*CAP. XI.*]—*Qualiter tempestate preclusus cibos precibus impetiverit, et serenum predixerit futurum.*

Æquore preclusus, dapium cum defuit usus,
Tu precibus sanctis aures pulsando tonantis
Accipis ad votum solacia larga ciborum:

Accipis in numerum convivia terna dierum;
Prædicensque fretum quarta fore luce quietum,
Præcinis haud ficta; nam fiunt ordine dicta.
Tu, licet indigno, precor assis more benigno;
Defer opem Christi per opem quam promeruisti;
Ut Domini dextra me recreet intus et extra.

[*CAP. XII.*]—*Quod per aquilam cibum acceperit.*

Hinc cum jejunus populos ires moniturus,
Christo dante, dapes sumis, quas detulit ales.
Pisce tibi lato reficis te munere grato.
Per te, quæso, fidem michi conditor augeat idem;
Ne mea mens nutet, sed perstans vana refutet;
Et Christo fidat, famulis solacia qui dat.

[*CAP. XIII.*]—*Quomodo fantasticum et verum ignem precibus extinxerit.*

Te, pater insignis, dæmon expavit et ignis:
Ignem, quem finxit, tua cum prece lacrima strinxit;
Inque fide Christi veras flammas pepulisti.
Me fugiant per te Satanas, venus, hostis uterque;
Fervor fervores, et amor propellat amores;
Sed sacer injustos, novus et de corde vetustos;
Corque meum mundet, quod ros cœlestis inundet.

[*CAP. XIV.*] - *Quod insanam, necdum presens, sanaverit.*

Qualiter hoc pandam quam sævo dæmone quandam
Sensu privarit furor, et furiis agitarit;
Motu, clamore, gestu, stridoribus, ore;
Omnibus horrori nimio fuit atque timori,
Membraque per morsus lacerans et tegmina prorsus,
Urgetur dire pœnis extrema subire:
Quam miserando satis, cum vertis, vir pietatis,

Hanc adeundo pedem mox liquet corporis ædem.
Te, venerande pater, formidans spiritus ater
Territus absentem te fugit signi-potentem;
Nec tulit adventum, pavet hæc ceu verbera centum.
Fit mulier sospes, venit obvia, suscipit hospes;
Et te miratur, laudat, servit, veneratur.
Vir pie virtutum, Christi michi poscito nutum;
Ut me defendat, nec culpis digna rependat:
Cœlitus adjutum custodiat undique tutum;
Ne patiens dira lacerer tortoris ab ira.

[*CAP. XV.*]—*Quod signis et virtutibus clarior fuerit.*

Hinc animi testis signorum gratia gestis
Crevit in augmentum, per te medicina dolentum;
Orans, prædicens, præsens, absens, benedicens,
Exorcizando, verbo simul imperitando,
Pellis languores, larvas, fera, monstra, furores:
Doctor quam magnus! gravis his, his mitis ut agnus;
Virtuti natus, justus, pius, et moderatus;
Asper peccanti, blandus culpas reseranti,
Justitia ferves, ut cunctis congrua serves;
Corde pio manas, scelerum sic vulnera sanas;
Sæpe quidem suetus peccanti fundere fletus;
Culpas ulciscens, tibi dum pandit resipiscens,
Fers contendentes, pateris te non patientes;
Probra ferendo taces, vincisque tacendo loquaces;
Sic facis imbelles tibi quosque ferendo rebelles.

* * * * *

* * * * *

Horas orandi producens et vigilandi,
Jungis noctesque precibus, cum nocte diesque:
Noctes per ternas tu pernox sive quaternas
Cum celebras missas stas victima factus ad ipsas.
Transfusus votis procul a tellure remotis,
Christo mactaris, sursum cor habens lacrimaris;
Cor magis exaltas quam voces gutturis altas;
Sacra magis flendo peragis quam dulce canendo:
Talibus et tantis complexus jussa tonantis
Perversos flectis, et quosque bonos tibi nectis.
Fac, vir virtutis, sequar hæc exempla salutis:

Fac, bone, fac inquam, faciam bona, prava relinquam :
Fac orans plorem, plorans et dulciter orem ;
Ut modo carnalis per te sim spiritualis,

[*CAP. XVI.*]—*Qualiter solitarius in Farne vixerit.*

Hinc sacriora petis, terrestribus undique spretis:
In Farne latebris cœlo cupis esse celebris;
Terris occultus, rerum vitando tumultus.
Hæc super est cura spe prægustare futura;
Hæc gustando vacas, Christum lacrima, prece, placas.
Vivis eo raptus, magna dulcedine captus:
Vivis et insistis, nil te deflectit ab istis.
Hæc secreta loci tenuit cum gente feroci
Inferni princeps, sed pulsus ab inde deinceps,
Expers fit sedis, cui te, sanctissime, credis.
Christi lorica, galeaque salutis amica,
Et gladio verbi premis hostis colla superbi.
Taliter armatus, struis hic tua castra probatus.
Sic mundi curas cum mundo jam ruituras
Fac ut ego spernam, vitam gustando supernam:
Fac sitiam multum dominantis cernere vultum,
Quem videam tandem sanctos per sæcla beantem.

[*CAP. XVII.*]—*Quod de rupe durissima aquam obtinuerit.*

Fons de rupe datus fluxit tibi munere gratus:
Prosilit e petra tibi conveniente metreta;
Hinc bibis, hinc gaudes, canis hinc ex pectore laudes.
Plus hujus gustum quam delectabile mustum
Diligis, et mavis quam vini pocula suavis.

[*CAP. XVIII.*]—*De miraculo quod de ipso fonte solet fieri.*

Hic fons nimirum facit hoc in tempore mirum,
Istis potatur, illis potando negatur.
Namque dat insonti, sed non dat pocula sonti:
Insons inde bibit, sitiens pirata redibit,
Denique siccatur ut non a sonte bibatur.
Vir meriti tanti, prece, quæ placet omne-creanti,
Saxa meæ mentis fletus mollito fluentis:
Quicquid habet sordis lavet hoc compunctio cordis,
Ut de fonte bibam, per quem per secula vivam.

[*CAP. XIX.*]—*Quod a sua messe verbo volucres abegerit.*

Vivens more patrum, manuumque labore tuarum,
Credideras ruri spem victus vota futuri:
Sed tua raptantum sata læsit turba volantum,
Quas prohibens istis jussu depellis aristis:
Hincque tuam temere messem nunquam tetigere.
Sic, Christi verbo pulso prædone superbo,
Fac semen sanctum radicet cordis in altum;
Unde fides crescat, et crescendo revirescat.

[*CAP. XX.*]—*Quod corvi injuriam quam ei fecerant, precibus et muneribus purgarunt.*

Hospitii tectum duo dilacerando retectum
Corvi rescindunt, prolisque cub ilibusindunt:
Præcipis, et cedunt, nam post tua jussa recedunt:
Sed cum rura fodis, post trina volumina solis,
Alter adest mœstus, motu facit indice questus;
Voce quidem mœret, terræ demissus adhæret;
Lamentando jacet, sibi quo tua pectora placet;

Et jacet ante pedes, ut priscas impetret ædes.
Annuis, hinc abiit celer, et socium revocavit.
Dant suis unguenta, quibus unguas calciamenta;
Et post hæc fidi retinent habitacula nidi.
Sic reprimas legi quicquid contrarius egi;
Fac peccatorum plangam commissa meorum;
Insons existam, dum vitam curro per istam,
In regione Dei michi sit sedes requiei.

[*CAP. XXI.*]—*Quod neglectum a fratribus lignum sibi mare advexerit.*

Fratres obliti sunt roboris ante petiti,
Quod maris unda quidem tibi fert et ponit ibidem,
Ad sustentandum fuerat qua parte locandum,
Illa mensura casa qua foret hoc habitura.
Sic tibi factura gaudet sua subdere jura;
Factori gratum, quia tu dederas famulatum.
Jamque, Deo care, michi clemens auxiliare;
Ut vivam recte, michi Christum, quæso, reflecte:
Fac caro sit menti, mens subdita cuncti-potenti:
Sic bene mutatus, fiam quandoque beatus.

[*CAP. XXII.*]—*Quod licet longe remotus a multis tamen frequentabatur.*

Urbs ut monte sita, tua prominet undique vita;
Nec valet abscondi quamvis in Farne recondi.
Fama facit notum, quem dat locus orbe remotum.
Quos mala presserunt, relevandi te petierunt:
Pars quæ fecisset mala, pars quæ passa fuisset
Pectore lugubri fera temptamenta colubri,
Ut recrearentur, tibi quique gemendo fatentur;
Nec sunt decepti spe, nam rediere refecti.
Nemo redit mœstus, retulit nec pectoris æstus;
Solamen mœstis, relevatio prompta molestis,
Lumen temptatis, spes auxilii tribulatis
Tu fueras factus, virtutum culmina nactus;
Nam bene scivisti proponere gaudia Christi,
Et mundi luxus quam sit cum tempore fluxus.

Decipulas mille, quibus hostis decipit ille,
Plane pandebas, pandendo cavere docebas :
Dicens, his loris capietur nudus amoris ;
Quo qui firmatur, sanctaque fide solidatur;
Liber transibit, retineri fraude nequibit.
Quot, quantisve malis me vis fera dæmonialis
Lædere temptabat, quotiens de rupe rotabat,
Saxaque jactabat, jactansque necare parabat:
Sed nec lædebat, nec deterrere valebat.
Sanctus amor tanti cuiquam persistit amanti;
Pellit corde metum, semperque dat esse quietum.
Ne me, sancte pater, deludat spiritus ater,
Assis adjutor, semperque per omnia tutor;
Fac ut amem Christum, qui conterat omne sinistrum ;
Simque fide fortis, devicto principe mortis.
Fac me posse sequi, quæ sunt bona juris et æqui;
Te sequar ex voto prorsus torpore remoto;
Hancque tenendo viam merear post funera vitam
Ut per te tecum felix collocer in ævum.

[*CAP. XXIII.*]—*Quod Ælfled abbatissa et ejus puella per illius zonam sint curatæ.*

Corpus pressa malis, Ælfled sanctimonialis,
Curis nullorum poterat refici medicorum.
O Cuthberte sacer! tua munera vis fugit acer;
Quam tu misisti, zona morbum pepulisti:
Qua se succingens meritum sanatur ob ingens.
Tempore post modico languebat et altera virgo,
Pene coacta mori, capitis suppressa dolori:
Sed virtus cladem zona depellit eadem;
Nam mox sanatur, ut ei caput inde ligatur.
Sed mirum, zona post virtutum duo dona
Non ibi non usquam reperiri quiverat unquam.
Tu, pie, tu, tante, pietate tua medicante,
Aufer languorem, ne dira morte laborem,
Culpæ languorem languoribus asperiorem.
Heu peccatorum quam magna gravedo meorum!
Nil animæ gravius quam sarcina ponderis hujus:
Ad labem vergit, miseros in tartara mergit.
His me, quæso, malis, pater, eripe, spiritualis:
Mole gemens tanta, lever, oro, tua prece sancta.

Compatiens humili, par et tu redderis illi:
Gaudia fers flenti, pauper tibi, dives egenti;
Esuriem victu, frigus depellis amictu:
Te pietas matrem reddit, censuraque patrem;
Gaudens gaudenti, tristisque dolensque dolenti;
Corrigis errores, componens pace furores;
Colla repressorum relevas a fasce laborum;
Austeras verbo, non parcis cuique superbo:
Non blandimentum tibi fert persona potentum;
Sed quorumque scelus tuus arguit, inclite, zelus:
Sanctus, catholicus, prudens, pius atque pudicus,
Quæ facis ipse foris testes sunt interioris:
Nam testes mentis miracula sunt facientis.
O tu! tantorum præpollens vir meritorum;
Nexus culparum precibus dissolve mearum:
Fac in te discam scitiens ut cætica gliscam,
Participansque bonis sequar actus relligionis;
Per partem quandam, virtutum culmina scandam.

[*CAP. XXIV.*]—*Quod Alfledæ fratris sui regis Ecgfridi interitum et suum pontificatum prædixerit.*

Dum supplex a te, præsago denique vate,
Adjurans quid erit, sacra virgo regia quærit,
Tu ventura canis tristi de funere fratris;
Post metas anni quæ deflevere Brittanni,
Quæque forent jura, quo sceptra regente futura;
Pontificemque fore te sacro præcinis ore.
Quod tamen horrebas, quoniam magis ipse volebas
Degere secretus, Christoque vacare quietus,
Quam sullimari, quam curis exagitari;
Tu michi jam præsta, mundi vitare molesta;
Ut mandata Dei, compos sanctæ requiei,
Perscrutans volvam, nec ab his jam corda resolvam.
Hic labor, hic et amor, studium, meditatio, clamor,
Hoc opus insomne: quod turbat sit procul omne.

[*CAP. XXV.*]—*Qualiter episcopatum snbire coactus vixerit.*

Jam nutu Christi fiunt quæ præcinuisti :
Rex, primatesque, monachi quoque, pontificesque
Obsecrant, plorant, adjurant, prorsus et orant,
Curvanturque genu, quatiuntur supplice fletu.
Vix de secretis et dulci sede quietis
Te, pater, extractum, curasque subire coactum
Fletu perfusum rapiunt pastoris ad usum.
Jam præsul factus, superornas præsulis actus ;
Factor adimplesti, quæ doctor dicere suesti :
Nec lucrando parum zelo ferves animarum,
Perstas ordo gregis, speculum, via, regula legis,
Lux et iter morum, scala juris, lux animorum,
Doctor honestatis, custos et sobrietatis,
Justitiæ forma, rectique sacerrima norma ;
Exemplum cuique, monachus persistis ubique ;
Ut solus pridem, sic turbis mixtus et idem ;
Stas monachus, vultu, vita, verbo, dape, cultu

[*CAP. XXVI.*]—*Quod interitum Ecgfridi regis absens in spiritu agnoverit*

Ut prædicta satis fierent oracula vatis,
Rex cum vastaret Pictos, miserosque necaret,
Hic, circumventus, fuit ense furente peremptus.
Tu multis coram signasti funeris horam ;
Quamvis multorum distares fine locorum :
Quam dicas verum testantur nuntia rerum ;
Nam quo momento rex concidit ense cruento
Pectore quam tristi præsentes rem docuisti.
Ut videam, pure, vitæ secreta futuræ
Ex acie cordis quod inest depellito sordis.

[*CAP. XXVII.*]—*Quod Hereberto impetraverit ut secum migraret ad Dominum.*

Quo rogo conatu referam majora relatu?
Quam sacer insigni sanctis amor æstuet igni,
Deque duobus idem cor adunet spiritus idem?
Pectore consertus tibi se jungens Herebertus,
Te sequitur vita resplendens anachorita:
Nam te viventem sequiturque colitque docentem;
Sic tua dicta colit, ut ab his discedere nolit.
Estu cum magno semel ad te venit in anno,
Sicque tuo fatu crescit, ceu tæda rotatu;
Spes augmentatur, caro servit, mens dominatur;
Omnino spernit, quod mundo labile cernit;
Tendit ad æterna, prægustat amando superna,
Dum conferretis æternæ verba quietis.
Tandem, Cuthberte, socio canis hæc, "Hereberte,
Hoc modo momento, quod vis conferre memento,
Et percuncteris a me quod noscere quæris,
Hinc digressuri sumus, ultra non redituri;
Jam discedemus, sed post non nos repetemus;
Non erit ulterius aspectus corporis hujus,
Judice nam Christo, cito corpore solvar ab isto;
Carnem deponam, vitæque subibo coronam."
Auditis istis, Herebert fit pectora tristis;
Stratus humi plorat, votis et vocibus orat;
"Quæso, tui cari, venerande, velis memorari:
Fac pietate Dei sim compos ipse trophæi;
Scandens alta poli me terris linquere noli;
Tecum de mundo commigrem fine secundo,
Et tibi conjungar cum vitæ munere fungar."
Præsul sullimis, permotus cordis ab imis,
Huic tali voto concurris pectore toto.
Exoras Christum, quo tecum tollat et istum,
Obsequioque pari jubeat super astra levari.
Nec mora, sensisti tibi cedere munera Christi;
Sensisti dico spiramine doctus amico:
"Frater," ais, "surge, nec corda doloribus urge,

Sed potius gaude, gaudensque per omnia plaude;
Ipse viæ talis comes ibis, care sodalis:
Ambo festivi melius post funera vivi
Cœlos intrantes ibi convivemus ovantes."
Omnia venerunt velut a te dicta fuerunt,
Digressi quorsum fuit optio, quisque seorsum;
Non oculis carnis vos conspexistis in arvis,
Sed quod quæsistis, petistis, amastis, ab istis
Hinc simul erepti, mundo cœlisque recepti
Momentum per idem pariter regnatis ibidem.
Incola nunc cœli, fer opem, peto, menti fideli;
Infima mente terram, quæ sunt super æthera quæram,
Vivam non mundo, sed cœlis pectore mundo;
Fac virtute precum quo possum vivere tecum.

[*CAP. XXVIII.*]—*Quod servum Comitis sanaverit.*

Heroum cuidam præbens servimina quidam
Tabe gravi pressus languebat in ultima fessus;
Jam non languenti sed erat similis morienti:
Sed pestis victa tibi cedit aqua benedicta,
Ægro per quendam, quam das, Cuthberte, bibendam;
Ejus in os fusa, tabes fugit inde retrusa;
Surgit et exultat, domus omnis laude resultat.

[*CAP. XXIX.*—*Quod uxorem Comitis curaverit.*

Circumiens villas, lustrabas pastor ovillas:
Læta dies Comiti te redditur hospite miti:
Pro consorte thori satis egerat ille dolori,
Quam languor fortis, cogens ad limina mortis;
Et dolor immensus tulerat de corpore sensus.
Vix angustatus recalebat pectore flatus;
Sed miseram reficis, per limpham, quam benedicis:
Hujus aquæ tactu fit ei mirabile factu:
Nam mortis cladem nox hora pellit eadem.
Incolumis tibi stat mulier, mensisque ministrat;
Prompta ministra tui, per quem redit ipsa saluti.
Languit in cella miseranda dolore puella,

Cui caput atque latus magni fuerant cruciatus.
Hanc, ut inunxisti sacrato crismate Christi
Viribus integra fit, quæ defecerat agra.

[*CAP. XXX.*]—*Quod per panem ab eo missum infirmus sit curatus.*

Vir morbo læsus, multoque dolore peresus,
Tabuit in letum, res advocat anxia cœtum,
Cœtum carorum quibus extat causa dolorum:
Cum subito panem, sed non virtutis inanem,
Quippe sacrum munus, illorum protulit unus:
Protulit, et dixit, hunc Cuthbertus benedixit;
Mira per hunc credo virtus parebit in ægro.
Mox miscetur aquis benedicti portio panis;
Hinc ægro bibere postquam credendo dedere
Gustu pauxillo languore novatur ab illo:
Surgit et incedit, et de se vix sibi credit;
Tantum miratur quod tam subito renovatur.

[*CAP. XXXI.*]—*Quod juvenem lecto ad se delatum data benedictione sanaverit.*

Cumque pia cura per pastoralia jura
Plebis commissæ loca lustras, pervigil ipse,
Ecce tibi latus, lecto misere cruciatus,
Æger adest unus, prope solo corpore funus
Nam prope compulsus fuerat de sede revulsus
Spiritus, et macrum jacuit miser hic simulacrum:
Tu, miserans illum, supplex orando, pusillum
Ex virtute crucis vitæ sanando reducis.
Qui fuit advectus redit ipse salute refectus.

[*CAP. XXXII.*]—*De puero semince per eum sanato.*

Millia funestis jam cladibus invida pestis
Depopulans stravit, cultore solum spoliavit.
Tu commissorum, spes, cura, levamen eorum,
Muneribus largis, Cuthberte, salubria spargis;
Parsque tuæ curæ mater prolis morituræ
Fatum quæ flebat flens te pietate movebat:
Nam benedixisti, simul oscula sancta dedisti
Semineci parvo, jam jam vitæ reparando
Sic fatus matri, ne mœsta velis lacrimari;
" Nil metuas triste, nam vivet parvulus iste,
" Deque tuis nemo fungetur sole supremo,
" Hac lue morborum, qua nullus obibit eorum:"
Hæc ut dicuntur res ordine dicta sequuntur;
Infans sanatur, mater gaudendo novatur.
Tu, pie sancte, bone, præsul, pater atque patrone,
Qui tot sanasti, qui tot pressos relevasti,
Sis michi protector, michi sis a labe refector;
Sis michi tutela, Christoque jubente medela,
Pressum peccatis ope sustenta pietatis.
Sancte pater, pro me tua sancta precamina prome;
Prome preces, quæso, poscendo juvamina læso,
Posce Deum pro me, tibi sanandum refero me;
Nec mora sanabis, si pro me, sancte, rogabis;
Nullus abinde labor, si te poscente beabor.

CAP. XXXIII.—Quomodo inter manducandum animam cujusdam ad cœlum ab angelis ferri viderit.

Sobrius ad mensas residens cœlestia pensas;
Dum convivaris voto super astra levaris:
A dape semotus lassaris corpore totus:
Res mutat vultum, linquit quoque dextera cultrum;
Corda pavor vibrat, mentem vis cœlica librat.
Horum miratrix, pia virtutum famulatrix,
Regia virgo quidem quæ tunc assedit ibidem
Posscere vix ausa, digneris ut edere clausa,

Suppliciter quærit quæ causa pavere subegit.
Ore refers miti, "certe magnalia vidi,
Quam felix anima tellure levatur ab ima,
Sanctis stipatur, cui porta poli reseratur,
Lætis juncta choris felicibus inditur horis.
Pars fuit hic humilis, quam tu bene pascis, ovilis ;
Cras ejus nomen pandes mihi mortis et omen,
Cum Domino sacras libavero munus ad aras."
Jam facto mane dictis nil transit inane ;
Sacris intento tibi dicit virgo, "memento
Illius Hadgualdi, quem contigit arbore labi ;
Lapsus decessit, pete Christus ei requies sit :"
Sic, pie, sic paret in te quæ gratia claret.
Perspicis assumptum, sed et ejus ad astra triumphum :
Quæ, quando, quæque tibi dicat, precinis æque.
Nunc michi tantorum, succurre, pater meritorum :
Vires impetra quo pellam pectore tetra ;
Mens Christum captet ut eam virtutibus aptet ;
Captet, ut has nactus sanctorum persequar actus,
Quorum post mortem capiam per sæcula sortem.

[*CAP. XXXIV.*]—*Quod aquam in vino mutaverit.*

Virtus divina tibi dat de flumine vina ;
Vinum fecisti limpham, quam fonte bibisti ;
Gustantes alii, celebrant miracula vini.
Verte meos mores, te deprecor, in meliores :
De summis rora michi, quo sapiam, meliora.
Fac sapiam Christi magis et magis, ut sapuisti,
Sacrum dulcorem, simul et dulcoris amorem.

[*CAP. XXXV.*]—*Quod post duos annos Episcopatus redierit ud solitariam vitam, et inobedientes sibi fratres mare impedierit.*

Per binos annos illustrans ipse Britannos,
Pontificis jure peragebas munia curæ :
Mox, vatum more, tibi mortis præscius horæ,
Transacto festo Christi natalis honesto

Curas deponis, et temet in antra reponis.
Farne quidem repetis, sedemque locumque quietis,
Omnibus exutus, ut adires æthera tutus.
Quadam forte vice, post verba salutis amicæ,
Ad fratrum cœtus faris ludendo facetus,
" Ista coquatur aqua, quæ pendens cernitur auca;
" Coctam vos edite, post esum nave redite."
Sed postponentes aucam monachi comedentes,
Percellunt iræ maris impedientes abire.
Sævit ubique mare, non sivit eos remeare:
Nec causam penitus agnoscunt criminis hujus.
Ut septem Phœbus lustraverat æthra diebus,
Tu, pius antistes, relevas solamine tristes:
Et, "quid," ais, "mirum, si vobis est mare dirum?
Nostrum contemptum nunc vindicat hoc elementum;
Vis furit infesta, quia non est auca comesta:
Parêntes tandem, fratres, comedatis eandem;
Ut parendo minas superetis nave marinas."
Res celebris digne cum jam ferveret ab igne,
Carnis coctura monachis sit ut esca futura.
Nec mora fervores mare linquit et unda tumores;
Nubila rarescunt, sedataque flabra quiescunt.
Nam qua mandasti jam fratres alite pasti,
Ut videre fretum sopito murmure lætum,
Scandunt naucellam, repetuntque per aquora cellam.
Factum mirantes, et in illo te venerantes,
Consors sanctorum, fac ut precepta sacrorum
Non obliviscar, per quæ cœlos adipiscar.

[*CAP. XXXVI.*]—***Quanta egrotus temptamenta pertulerit, quidve de sua sepultura mandaverit.***

Post geminos menses in morbi decidis enses;
Carne fatigaris, cœloque dolore pararis:
Per tres ebdomadas fessus languore cubabas,
Nec tamen oblatum tibi vis æger famulatum.
Circumiit Phœbus jam cœlum quinque diebus,
Nec homo te visit, quare nec mare visere sivit:
Undis horrebat, flabrisque tumendo furebat.
Hac certando mora, temptamina fers graviora:
Serpens antiquus modo plus tibi venit iniquus;
Sed tibi victori fuerant hæc bella decori.

Post mare placatum redit ad te concio fratrum:
Te nimis afflictum, sed nullum sumere victum
Per spatii tantum queritur tibi fletus amantum.
Tum tibi substrati retegens stramenta grabati,
Quinque quidem cæpas ostendens, hæc referebas:
" Hic cibus, hic potus, sum gustans ista refotus,
" Cum sitis arderet, sed et os sitiendo rigeret,
" Corrodendo parum succo recreabar ab harum.
" Vos dulces nati, fratres in amore probati,
" Re modo perfecta, properate revisere tecta;
" Oretis pro me, quoniam jam jamque scio me
" Corpore solvendum, spero super astra ferendum.
" Hinc in luce Dei lucem superabo diei:
" Hic in pace bona vitæ rutilabo corona:
" Hanc pius ille dabit, qui nulli justa negabit;
" Rex cui certavi, milesque fidelis amavi.
" Est res, o nati, precor hanc concedite patri,
" Post cursum vitæ me scilicet hic sepelite:
" Hic sepelite peto, qua mansi corde quieto,
" Qua michi compunctus, qua Christo pectore junctus,
" Qua flens gaudebam, sitiens ad gaudia flebam,
" Qua psalmos dixi, cœloque per omnia vixi:
" Hinc quoque post cursum jam tollar ad æthera sursum;
" Spiritus in cœlo, caro Farne quiescat anhelo."
Tum fratres mœrent, terræque ruendo cohærent,
Deplorantque satis jam proxima funera vatis;
Et singultantum resonat vox ista precantum.
" Audi, sancte pater, quia nos dolor implicat ater,
" De te nunc certus nos audi, sancte, misertus,
" Jam modo transibis qui regnaturus abibis,
" Cœlo victurus, sed nobis heu moriturus.
" Hinc simul oramus, quo respirare queamus,
" Quod linquis terræ, nos nobiscum sine ferre:
" Scilicet hoc sanctum, condigne, corpus humandum.
" Hæc non Farne decet terris ut munera celet.
" Res, digne, celebris non est credenda tenebris.
Supplicibus blande responsa refers, venerande.
" Quod petitis vobis fore non reor utile vobis:
" Ex hoc venturas vobis ego præscio curas;
" Nam jus lædentes, scelerati, quique nocentes,
" Raptor, perjurus, prædo, fur, latroque durus
" Effugii sedem sibi nostri corporis ædem,
" Id si vobiscum tumulo requieverit ipsum,

"Ut pœnas vitent, miseri fugiendo requirent:
"His certe vitam, curam, pacemque petitam,
"Ut conservetis, contra fortes satagetis:
"Contra non mites pariet discordia lites:
"Hic labor est multus tales superare tumultus.
Cœtus ad hæc fratrum sibi dicit et hoc fore gratum,
Ac leve dura pati pro corpore patris humati.
Compatiens natis, pater et presul pietatis,
Consilio fatus das assensum miseratus;
Das ita dicendo fatu nimium reverendo,
"Cum precibus multis mea vota revincere vultis,
"Ut Lindisfarne jaceam post funera carne:
"Templi secretis placet hanc tumulando locetis,
"Huc ut possitis accedere quando velitis;
"Sit vestri juris nostrum tumulum petituris
"An permittatis intrare locum penetralis.
His ita permissis, monachi refoventur ab ipsis;
Et referunt grates tibi flexo poplite, vates,
Te, pater alme, peto, votis, venerande, faveto;
Scilicet ut noscam, quæ sint quæ digna reposcam;
Ut poscens digna capiam pietate benigna.

[*CAP. XXXVII.*]—*Quod ministrum suum a profluvio sanguinis liberaverit.*

Appropians leto sudas cruciamine læto;
Febre fatigaris, sed certa spe recrearis;
In mortem fessus, portaris ad antra recessus;
Scilicet antra precum, qua multo tempore tecum
Nullus degebat, nullique subire licebat.
Sed nunc, oratus, patiens modici famulatus,
Huc comes intrasti, sed mox comitem reparasti:
Nam Walchstodod languens congaudet, te, pie, tangens:
Dum te tangebat ventris languore carebat.
O pie Cuthberte! tangam cœlestia per te;
Contactu mentis, sanari sic sitientis.

[*CAP. XXXVIII.*]—*Quæ mandata suis in fine dederit.*

Jam propior cœlis morbis compulsus anhelis,
Das mandata gregi divinæ congrua legi,
Extremunque vale sic linquis spirituale.
" Pacifici sitis, vitantes jurgia litis,
" Et cor semper idem vobis amor alliget idem;
" Alliget in Christo, nec discedatis ab isto;
" Non discordetis, dum consilio satagetis.
" Consilium plane concordia non dat inane,
" Nam male procedet hoc si discordia fœdet:
" Quosque fide claros colitote per omnia caros;
" His fidei natis non pluris vos habeatis;
" Hospitii jura summa deducite cura;
" His rogo servite, parat hoc pia fœdera vitæ.
" Catholicæ pacis procul hostes aufugiatis,
" Nec cum perversis in perfidiamque reversis
" Consensus facti, nec sit communio pacti.
" Hoc retinete ratum, quod erit post funera gratum,
" Rebus in adversis, vobis in tristia mersis,
" Cum dubiis fatis erit incertum quid agatis,
" Plus placet, effossa mea vos tollatis ut ossa,
" Et comportantes loca linquatis fugitantes,
" Quam juga pravorum ducatis scismaticorum,
" Collaque subdatis fautoribus impietatis.
" Patrum catholica pia dogmata, pacis amica,
" Quæque, Deo dante, fido sibi me famulante,
" In me vidistis, quæ sancta quidem didicistis,
" Digne servetis, servantes semper ametis;
" Nam licet exilis videar, vivendoque vilis,
" Post obitum certe nostrum cernetis aperte
" Quis sim, vel qualis, quam vita spiritualis;
" Quod mea doctrina fuerit culpæ medicina."
Hæc sed et his plura dicendo, tuis profutura,
Jam regnum Christi scansurus disseruisti.
Excubiis lætis ibat nox ipsa quietis:
Luce propinquante, te lucis Rege vocante,
Transitus instabat, qui te nimis exhilarabat.
Ut sacra jam rite gustasti fercula vitæ,

Fercula sanctorum, firmum munimen eorum,
Dans laudes almas, sustollis ad æthera palmas,
Palmas et vultum, sitiendo cœlica multum,
Sic inter laudes ascendere sidera gaudes;
Gaudens ditaris, deitatis ab ore bearis,
Sanctorumque chorus tibi plaudit laude canorus.
O! cui cœlestis canit ymnis concio festis,
Ultima verborum fac me servare tuorum:
Fac, pie, fac, inquam, tua non ut dicta relinquam,
Ut jam post letum mœrear tua gaudia tecum.

[*CAP. XXXIX.*]—*Quod corpus ipsius ad Lindisfarnensem ecclesiam delatum in ea sepultum sit.*

Tum sacrum funus, mundo venerabile munus,
Impositum navi deducitur æquore suavi.
Lindisfarnenses occurrunt litore, flentes,
Excipiuntque choris illud celebrando sonoris:
Inque locis sacris condunt memoralia patris.
Hæc in cancello, petrino clausa locello,
Servant, lætantur, complectuntur, venerantur:
Servant thesaurum, quo vilius extat et aurum.
Splendens gemma poli, rogo te me spernere noli;
A carnis tabo me, te faciente, lavabo;
Moribus ut castis ego vivam deditus astris.

[*CAP. XL.*] *Quomodo puer dæmoniacus sit humo, cui lavacrum corporis ejus infusum est, in aquam missa, sanatus.*

Dæmone vexatus puer experiens cruciatus,
Emisit voces, cogente furore, feroces:
Funditus ipse bonis privatus erat rationis;
Quicquid tangebat morsu lacerans minuebat.
Presbiter astabat, sed nil orando juvabat.
Ad loca sanctarum perductus relliquiarum
Nec sic sanatur, sed honor tuus hinc cumulatur,
Dum per te reducem recipit, Cuthberte, salutem.
Quidam limpha sacri fuerat quæ fusa lavacri,
Quæ corpus sanctum quondam lavit tumulandum:

Sumpsit humi partem, medicinæ sicut in artem,
Miscuit et limphis, ubi fudit in os patientis:
Nec mora clamores, motus, miserosque furores,
Oraque compressit, mentem, requiemque capessit.
Facto mane quidem consurgit sospes ibidem,
Et melius credit, et sanior inde recedit.
Vir pie signorum, vires preme dæmoniorum:
Flatis impuris sit nulla licentia juris,
Ut me discerpant, vel in intima crimine serpant.

[*CAP. XLI.*]—*Qualiter corpus ipsius post undecim annos incorruptum sit inventum.*

Ut sol undenos girando peregerat annos,
Ex quo, pace Dei, tibi tempus erat requiei,
Et cura multa fuerat caro sancta sepulta,
Tunc animis fratrum fit, Christo judice, gratum,
Ut tua de terra tollant sanctissima membra;
Quæ cineres facta credunt putredine tacta,
Hæc ut humum supra servans nova colligat arca.
Sed nil natura valet hic corruptio dura,
Quam fuerat labis tam sunt immunia tabis,
Corpus adest totum, nil carne vel osse remotum,
Flexile vincturis, nervis compagine duris,
Reddidit inventum ceu suscepit monumentum,
Ut requies somni, sic corpore paret in omni:
Vestibus et sacris corruptio defuit acris:
Nulla quidem pannis undenis contigit annis,
Quis tua sancta caro fuit obsita munere claro.
Quæso, vir angelice, patris omnipotentis amice,
Quas detestaris, sordes michi dilue carnis;
Ne male putrescat, si sordibus his requiescat;
Sed templum Christo sim corpore deditus isto.

[*CAP. XLII.*]—*Quomodo corpus Eadberti episcopi, juxta quod ipse optaverat, in ejus sarcofagum sit positum.*

Præsul Eadbertus, quam læta mente refertus,
Versibus insignis cecinit miracula dignis.
" O! quam sanctus, ait, locus est, qui talia clausit:
" Hoc qui servavit, quod cum virtute sacravit:
" Unde scio vere quod jam poterit remanere
" Tempore non multo vacuus locus ille sepulto.
" Quam bene pausabit, quem sors in eo tumulabit!
" Felix est multum cui sit locus iste sepulchrum."
Præsul devotus, suspensus ad æthera totus,
His multo plura dixit sitiendo futura.
Hinc morbo tactus, mortemque subire coactus,
Felix votorum compos fit ubique suorum:
Spiritus astra petit, caro sarcophago requievit,
Qua caro Cuthberti requieverat inscia nevi.

[*CAP. XLIII.*]—*Quomodo clericus ægrotus ad tumbam ejus orando sit sanatus.*

Tabuit haud sospes miserandus clericus hospes;
Jam desperatus, nimios tulerat cruciatus:
Jam prope defecit, quem nulla medela refecit.
Sed tua tumba, quidem, Cuthberte, salus fit eidem.
Vix miser huc latus fundit lacrimando precatus,
Ut prece languorem pellas vel morte dolorem,
Quæ sit tantorum quæ suffert meta malorum.
Æger ut oravit mox virtus hunc reparavit;
Virtus cœlestis fugat huic discrimina pestis:
Sic per virtutem citius rediisse salutem
Oppido miratur, laudesque canendo profatur.
Ut laudes cantem per sæcla videndo tonantem
Me releva fessum, peccati pondere pressum.

[*CAP. XLIV.*]—*Quomodo paraliticus per ejus calciamenta sit sanatus.*

Leto torpescens, miserandus adest adolescens,
Nam fuerat plane prope nil nisi corpus inane:
Officium nullum sibi membrum præstitit ullum,
Sensibus exuto velut in mortem resoluto;
Nullaque tormentum minuit vis arte medentum.
Tandem languentis vestigia calciamentis,
Quæ texere tuas quondam, pater inclite, plantas,
Dum circundantur, mox noxia mollificantur;
Morbus mitescit, somno placidus requiescit;
Somnos interque pes palpitat ejus uterque;
Hinc ut cœpta salus cunctos pertranseat artus,
Evigilans lætus, sacro medicamine fretus,
Jam contra morem sibi sensit inesse vigorem:
Surgebat stabat, ibat, laudesque sonabat,
Laudat salvantem, te tantis magnificantem;
Te, pater insignis, tam multis inclite signis.
Qui fuit allatus redit ipse pedes renovatus.
Fac michi virtutem, michi deposcendo salutem,
Mentis et infirma, quæso, sancta prece firma.

[*CAP. XLV.*]—*Quod per pellem vitulinam, quæ in angulo oratorii sui affixa fuerat, multi sunt curati.*

Quis non miretur quod pellis et ipsa medetur?
Sacra quidem pellis, sævis objecta procellis,
Ædis in hac parte qua Christum poscere, sancte,
Dudum suevisti, poscens et promeruisti.
Hæc equidem pellis, morbi medicina misellis,
Omnibus optata, largitur particulata
Felgildi dono, qui, te, Cuthberte, patrono,
Ut jus heredis, jam tercius incola sedis,
Vita cum casta tenuit tua dulcia castra.

[*CAP. XLVI.*]—*De monacho ad ejus tumbam curato.*

Quidam claustralis fuerat pius officialis,
Hospitibus puram gaudens impendere curam :
Intentum sacris subito vis corripit acris;
Namque paralisi sibi jam fit inutulis ipsi:
Qua lue contactus, nullos exurgit in actus:
Extortus misere cœpit graviora timere.
Cujus tormentum, pater alme tuum monumentum
Propulit, hic equidem supplex oraverat idem.
Inter verba precis somnum capit ille quietis;
Per somnum sensit, quod morbum dextera dempsit,
Dum palparet ei quasi partes corporis ægri.
Evigilans sese sic sanatum stupet esse ;
Nec mora surgebat, cunctosque stupore replebat,
Omnibus hoc dicens, et laude Deum benedicens.

VITA

SANCTI EATÆ

HAUGUSTALDENSIS

EPISCOPI.

INCIPIT VITA SANCTI EATÆ

HAUGUSTALDENSIS EPISCOPI.

Anno ab incarnacione Domini nostri Jesu Christi DC. XXXIII, interfecto in pugna Eadwyno rege Northanymbrorum nobilissimo, suscepit pro illo regnum Berniciorum filius Ethelfridi; qui de illa provincia generis et regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem, tempore toto, quo regnavit Edwynus, filii præfati regis Ethelfridi, qui ante illum regnaverat, cum magna nobilium juventute apud Scottos sive Pictos exulabant; ibique ad doctrinam Scottorum catezizati et baptismatis gratia sunt renati. Qui ut, mortuo rege inimico, patriam sunt redire permissi; ac cepit primus eorum, quem diximus Eanfridus, regnum Berniciorum. Qui, ut terreni regni infulas sortitus est, sacramenta cœlestis regni, quibus iniciatus erat, anathematizando perdidit; ac se priscis idolatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit. Nec mora: Rex Brittonum, Ceadwalla, illum impia manu sed justa ulcione peremit. Quo occiso, frater ejus, vir Deo dilectus, Oswaldus, adveniens, cum parvo quidem exercitu, sed fide Christi munito, infandum Brittonum regem, fratris sui interfectorem, cum inmensis illis copiis, quibus nil resistere posse jactabat, delevit; regnumque Berniciorum simulque Deirorum, Deo autore, adeptus est. Qui, ubi regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit, gentem, fidei Christianæ gratia imbui, misit ad majores natu Scottorum, a quibus ipse exulans baptizatus erat, petens ut sibi mitteretur antistes, cujus doctrina ac ministerio gens Anglorum, quam regebat, Dominicæ fidei sacramenta susciperet. Neque aliquanto tardius, quod peciit, impetravit. Accepit namque pontificem Aydanum, summæ mansuetudinis et pietatis ac moderaminis virum, cui ad se venienti rex Oswaldus locum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit,

atque ejus ammonicionibus humiliter ac libenter auscultans, ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter edificare ac dilatare curavit. Construebantur ergo ecclesiæ per loca; confluebant ad audiendum verbum populi gaudentes; donabantur regio munere possessiones et territoria ad instituenda monasteria. Ac vero episcopus Aidanus, inter alia vivendi documenta, saluberrimum abstinenciæ vel continenciæ clericis exemplum reliquit; cujus doctrinam id maxime commendabat quod non aliter quam vivebat [*ita* cum suis ipse docebat [*ita*]. Nichil enim hujus mundi quærere nichil amare solebat. In tantum autem vita illius a nostri temporis segnicie distabat, ut omnes, qui cum eo incedebant, sive attonsi sive laici, meditari deberent, id est, aut legendis scripturis aut psalmis dicendis operam dare. Iste igitur reverendissimus episcopus, inter cætera doctrinæ sanctæ et operum illustrium insignia præcocia, eciam duodecim pueros de nacione Anglorum, in Christo erudiendos, primo sui episcopatus tempore suscepit. Ex quibus unus extitit Eata, puer bonæ indolis, natura docilis, ac mansueti animi valde. Qui eruditoris sui sanctis monitis et exemplis sedulus auditor, menteque totus inhærens, brevi omni morum honestate conspicuus enituit. Itaque, ubi perfectioris ætatis metas attigit, acceptus Deo et hominibus, monachus factus, monachi nocte et die vigilavit in actus. Erat namque vir pacienciæ virtute præcipuus, castitate mundus, affabilis et jocundus omnibus, et, ut reverentissimus Beda presbiter de eo testatur, præ omnibus hominibus mansuetudinis et simplicitatis gratia decoratus. Crescente itaque eo magis ac magis in sacris virtutibus, crevit et in eo gratia cœlestis, suis illum sullimando karismatibus. Post non multum enim temporis, Abbas dignissimus effectus ecclesiæ Mailrocensis, multo majoris humilitatis ac caritatis exempla, quam antea, fratribus præstitit. Unde eum omnes monachi fragrantissimo amore diligentes, non quasi minacem magistrum metuebant, sed ut pium patrem affectuose complectebantur. Non solum autem monachis et clericis merito sanctitatis et exemplo tocius religionis venerabilis, sed et potentibus et divitibus hujus seculi in tantum honorabilis extitit, ut ipsi eciam reges illum, ut patrem, colerent, et ad construenda monasteria terras et possessiones ei liberali animo largirentur. At ille gaudens, pro devocione principum erga Dei cultum, ecclesias et monasteria diligenti studio locis opportunis instituebat. Discipulos quoque bonos sanctæque conversationis studiis operam dantes in ipsis aggregare studuit; inter quos, et præ quibus speciales et insignissimi, erant Boisilus et Cuthbertus; ambo viri miræ sanctitatis nitore lucentes, ambo spiritu prophetico magnifice pollentes. E quibus

prior Mailrocensi ecclesiæ, præpositi jure, sub eodem patre præfuit, sequens vero postmodum Lindisfarnensis ecclesiæ magnificus præsul enituit. His temporibus finito conflictu ac soluta contentione, quam Colmannus episcopus cum suis exercuit contra Wilfridum cæterosque catholicos viros, de observacione paschali, revertens patriam idem Colmannus adiit regem Oswium impetravitque ab eo ut præfatus vir venerandus, Abbas Eata, fratribus Lindisfarnensis ecclesiæ Abbatis jure præesset. Multum namque eundem Abbatem Eatan etiam Scotti venerabantur, eo quod esset, ut supra dictum est, unus de XII pueris Aidani episcopi. Suscipiens itaque sub cura sui regiminis sanctus Eata ecclesiam Lyndisfarnensem, omnem diligentiam spiritualium excubiarum eidem ecclesiæ, sicut et Mailrocensi, præbuit. Beatum quoque Cuthbertum, quem præpositum ecclesiæ Mailrocensis post obitum Deo dilecti sacerdotis Boisili fecerat, ad hanc ecclesiam transtulit; ejusque præposituram sub se disponendam illi commisit. Et inde, revoluto plurimorum annorum circulo, orta inter regem Egfridum et reverentissimum antistitem Wilfridum dissencione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus; et duo in locum ejus substituti episcopi, qui Northanymbrorum genti præessent, Bosa, videlicet, qui Deirorum, et Eata præfatus abbas, qui Berniciorum provinciam gubernarent; hic in civitate Eboraci, ille in Hagustaldensi sive in Lindisfarnensi ecclesia cathedram habens episcopalem. Ordinati sunt autem sancti ac Deo amabiles viri Bosa et Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro; qui eciam, post tres annos abscessionis Wilfridi, addidit horum numero duos antistites, Trumwyn ad provinciam Pictorum, tunc temporis Anglorum imperio subjectam, et Tunbertum ad ecclesiam Haugustaldensem; remanente Eata ad Lyndisfarnensem. Sed post triennium, pro culpa cujusdam inobedientiæ, depositus est Tunbertus; et loco ejus vir sanctissimus electus est Cuthbertus. Sed quoniam ipse plus Lindisfarnensi ecclesiæ, in qua conversatus fuerat, quam Haugustaldensi, dilexit præfici, placuit, ut Eata reverso ad sedem ecclesiæ Haugustaldensis, cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cuthbertus ecclesiæ Lyndisfarnensis gubernacula susciperet. Redditus ergo cathedræ episcopali ecclesiæ Haugustaldensis venerabilis pater Eata, cum magno universorum gaudio suscipitur: exultantibus omnibus, ac Deo gracias agentibus, quod pastorem suum dilectissimum, quem tristes perdiderant, Dei providente gratia, iterum recipere meruissent. Jam vero, qualem se in episcopatu exhibuerit, nullis meæ parvitatis eloquiis explicari valet. Creber enim erat in oracionibus; oportunus et importunus in exhortacionibus;

elemosinarum operibus intentus; disciplinis ecclesiasticis ex propositi voto redditus; et quæcumque per spiritum Sanctum agenda cognovit, sedulus ac devotus amministrare curavit. Cumque pius Dominus pios ejus labores æterna mercede remunerare decrevisset, tactus est morbo acerrimo interaneorum, quem medici discenteriam vocant. Quo per dies ingravescente, velut aurum per ignem examinatus, decocta omnium peccatorum rubigine, diem clausit extremum; ac regni cœlestis januas perpetuo victurus intravit, regnante domino nostro Jesu Christo; cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Sepultus vero est juxta sacrarium ecclesiæ præfatæ Haugustaldensis ad plagam meridianam, et parva capella lapidea supra tumulum ejus constructa est. De quo loco incertum habetur a quo translatus sit, ac infra ecclesiam in scrinio condigno honore collocatus. Attamen verisimile videtur illum translatum fuisse ab Alfredo filio Westuerum, presbitero Dunelmensis ecclesiæ, qui venerabiles ejus successores Accam et Alcmundum de terra levavit ac intra ecclesiam in feretris honorifice collocavit.

Qualiter prohibitus est Thomas Eboracensis Achiepiscopus corpus Sancti Eatæ ad Eboracum transferre.

Anno ab incarnacione Domini MCXIII, pontificatum Eboracensis ecclesiæ nobiliter amministrante viro jocundæ memoriæ, Thoma secundo, adierunt ipsum Archiepiscopum quidam ex archidiaconibus et clericis ejusdem ecclesiæ, et quasi consulendo suggerebant providæ ejus solicitudini, conquerentes inter se, et dicentes nimis injustum et indiscretum actum esse ecclesiæ Eboracensi, quod nullo sanctorum episcoporum suorum corporali præsentia honorata esset, sed omnes in aliis ecclesiis merito sanctitatis suæ ab omni populo sullimiter venerarentur. Adjecerunt autem justum esse, ut ipse Archiepiscopus omnium annisu se intromitteret, vel unum aliquem pastorum suorum antiquorum ad matrem ecclesiam revocare; ne omnimodo veneranda reliquiarum eorum præsentia orbata esse videretur. Et quoniam primus Archipontifex ejusdem ecclesiæ Paulinus, sed et succesores ejus æque viri sancti, Wilfridus, scilicet, Ceadda, Johannes et Oswaldus in tanta veneracione in ecclesiis illis, in quibus almifica eorum corpora reposita sunt, habebantur, ut de illis transferendis frustra inirent consilium, cœperunt rogare eum quatinus sanctum Eatan, ecclesiæ Haugustaldensis

pontificem, eo transferret; attestantes sufficere posse eidem ecclesiæ pignora reliquiarum sanctorum quatuor pontificum, quibus præter ipsum ipsa Haugustaldensis ecclesia magnifice polleret; nescio qua opinione ducti ut dicerent illum ecclesiæ Eboracensis extitisse antistitem, cum nec in historia Bedæ presbiteri nec in ullis gentis Anglorum cronicis hoc inveniatur. Annuit ergo eorum precibus importunis Archiepiscopus; et ordinavit ex eis, qui secum pergerent ad Hestoldesham, ad illud negotium, quod ei suggerebant, peragendum. Audientes autem hoc fratres ecclesiæ Haugustaldensis, valde tristes effecti sunt; et, de Domini misericordia tandem fiducia accepta, sanctum Eatan intentis precibus exorabant, ne locum quem vivens excoluerat, dilexerat, suaque sepultura locupletaverat, despiceret, desereret, suaque presencia viduaret. Adveniens itaque Archiepiscopus, comitantibus secum supradicti negotii instigatoribus, ad Hestoldesham, aliquantis diebus illic demoratus est. Ipsa autem nocte, qua transacta, venerabiles reliquias asportare disposuerant, in ipsa tempestæ noctis quiete, Archiepiscopo sompno depresso, apparuit ei quidam vir veneranda specie, habituque pontificali circumamictus, et virgam pastoralem in manu gerens et terribiliter respiciens Archiepiscopum, sic allocutus est eum. "Quid est quod facere disponis? Venisti huc, ut me de loco quietis meæ ad alienam ecclesiam transferas; quod tibi a Domino jussum non est. Dico tibi quia pœnas tuæ presumpcionis lues." Et elevans baculum, quem manu gestabat, percussit eum bis super humerum, et comminans ei vehementer disparuit. Expergefactus vero Archiepiscopus præ nimio timore exclamare cœpit; omnesque clericos coram illo dormientes turbatis vocibus excitavit, pavensque et tremens, quid vidisset vel perpessus fuisset, eis retulit. Statimque, mane facto, misit propter fratres ecclesiæ; rogavitque eos pro se orare; voto se obligans quod nuncquam amplius vellet ecclesiam Haugustaldensem ullo suorum patronorum spoliare. Idem tres autem continuos dies in infirmitate detentus, quarta demum die convaluit; sicque, infecto negotio pro quo venerat, cum clericis suis Eboracum reversus est.

INDEX HOMINUM.

INDEX LOCORUM.

NEWCASTLE: PRINTED AT THE SURTEES PRESS, BY J. BLACKWELL AND CO.

